

Johann Simonius

**Joannis Simonii Megapolitanorum**


**Fasciculus II. : Joannis Simonii Stemma Megapolitanum & Vandalia**

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097569>


Band (Druck) Freier  Zugang





Mk-1430<sup>13</sup>  
~~Mk-1430<sup>13</sup>~~









JOANNIS SIMONII  
STEMMA  
Megapolitanum,  
&  
VANDALIA.

*Quibus addita sunt*

ECLOGA DE OBITU  
D. CHRISTOPHORI:

&

ORATIO DE VITA ET MORTE  
D. SIGISMUNDI AVGVSTI,

Illustrissimorum quondam Ducum  
Megapolitanorum.

*Qui est*

*Heroicorum Megapolitanorum*

FASCICVLVS II.



ROSTOCHII

Typis Reusnerianis. Anno 1605.



Reverendissimo,  
*Illustrissimis celsissimisq<sup>2</sup> Principibus ac Dominis,*  
Dn. CAROLO,  
*Episcopatus Razeburgensis Admini-*  
*stratori:*

ADOLPHO FRIDERICO

&

IOANNI ALBERTO,

*Fratribus Germanis:*

Ducibus Megapolitanis, Principibus vetustæ gen-  
tis Henetæ, Comitibus Sverini, Dominis  
Rostochij & Stargardij,

*Dominis meis clementissimis.*

**I**llustres anime, Regumq<sup>2</sup> Ducumq<sup>2</sup> propago!  
Vandala dum repeto diffusa negotia: dumq<sup>2</sup>  
Prisca Ducum meditor breviori carmine facta,  
Stemmatq<sup>2</sup> dinumero vestrum per avos abavosq<sup>2</sup>:  
Atq<sup>2</sup> alias laudes dum pronus adoro: laborem hunc  
Accipite, atq<sup>2</sup> ratem per vastum ducite pontum  
Hanc nostram placidi: vestra est ea gloria sola,  
Sanguinis Agnati & vobis suspendere facta  
Fas est. Omnipotens sic vos beet ille Iehova,  
Hacq<sup>2</sup> dies redeat vobis centena per orbes!

Kal. Ianuar. ex Acad. vestrarum Celsitudinum  
Rostochiensis 1605.

V. V. V. C. C. C.  
subjectifs.

Ioannes Simonius.

STEMMA  
MEGAPOLITANVM.  
BILLVNGVS, REX

*Obtritarum potentissimus.*

**S**vantovitū colui primò · dein nomino Christo  
Ritè dedi : ad Pronem mox tamen en redeo !  
Tanta mali primi vis est ! me Vistula & Albis,  
Acola me Visaris ; me Viadrus timuit. A. C.  
Invida majorum nomen penè obruit ætas : 898.  
Sed pater à magno est septimus Anserico.

*MIZISLAVS.*

Me suafore Pater matrem mittebat : & ingens  
Divini verbi projiciebat opus.  
Bella pijs movi, causa est : nam facta videbam  
Et dicta inter se dissociare pios. ⊕ A. C.  
Quid juvat , ut rectè doceat quis, si malè vivat ? 999.  
Altera nonnè ruit, quòd struit una manus ?

*MISTEVOIVS.*

Exofus Prones cultum, gener audio magnus  
Aucupis HENRICI, & fortia bello gero.  
Saxo mihi viduam germanam spondet : at illud  
Erandenburgus turbat Marchio conjugium.  
Mox Christum nego · Brandenburgum regno exuo :  
Indoleo, atq; exula Bardovici morior. (tandem 1025.)

*VDO.*

Me Patris exilium, Fratrisq; injuria, falso  
In cultu idoli desinere Sives.  
A 2 Alla.

Allatroq; pios. nam sic, Brandburge, volebas?

Dum tibi Wendithi turba canina sumus.

A. C. Sed me latro necat. sic transit gloria mundi!  
1032. Disce tamen quantum lingua petulca queat.

### GODESCALCVS.

In Martem & cædes me armat mors tetra Parentis,

Lunburgi Sophien qui puer imbiberam.

Saxo me captum, virtutem propter & arma,

Mittit: avo hinc Dano subdo Caledonios.

Ad patriam ut redeo, redijt Lux: prædico Christum:

Proq; ipso tandem martyrium subeo,

A. C. 1066. 7. Id. Jun. Leomij ad aram.

### BVTHVE.

Imperio exturbat me Crito Ranus: avitum

At profugo Bardi restituere locum.

A. C. Exturbor rursus: mox Saxone milite Plœnum

1067. Occupo: cum vita quod mihi Crito rapit

Me Symbulla Patri peperit, regina Polona:

Quæq; Patrem tulerant, me quoq; fata ferunt.

### NICLOTVS. II.

Me Danus manicis foedè occupat: exiit his me

Mors Dani: & patrium mittor ad imperium.

Virtuti dabat hoc Cæsar: Leo, Marchioq; Vrsus

In me, sed frustra Martia signa movent.

Lubecam hinc vexo. Leo fertur in arma: ego ad

A. C. Frumentatoris opprimor insidiis. (Arnum

1158. 8.

### PRIBISLAVS. II.

Kal. Iulij.

Vltimus Vandalie Rex.

A. C. Tandem ego subverto simulacra insana Deorum,

1164. Vtq; ædes Christi DOBRA sit efficio.

Rostochi, Ilovij, Mecklnburgi fuscito muros:

Ter Septena mihi Sarmata bella ciet.

Vise

Viso Palæstinam; sic svadent tempora. Trojam A. C.  
Lunburgi ut pugno, sternor equo & morior. 1172.  
⊕ A. C. 1179. al. 1215. Kal. Octob. intestina ejus  
terra mandata sunt: corpus Dobranū translatum.

**HENRICVS BVREVINVS**  
*Senior.*

Primus Obotritus Princeps post fata Parentis  
Appellor, cum quo regia fama perit.  
Nostra Nicolotus minitantis patruus arma,  
Prædantemq; manum Rugia sensit atrox.  
Hinc carcer mihi: Rostochij hinc jactura: ego Sonam ⊕  
Extruo: me Elector Saxo vocat generum. A. C.

**HENRICVS BVREVINVS. II.** 1225.

Rostochium Genitor Nicoloto cesserat: id me  
Accipit en rursus, mortuo eo, Dominum. A. C.  
Tam varia est rerum facies! nostroq; superbit 1226.  
Æde Cathedrali munere Gustrovium.  
Svecorum Rex, connubio mihi, Carole, jungis  
Natam cūi juvenem me rapit atra dies.  
⊕ A. C. 1228. sepultus Gustrovij.

**IOANNES THEOLOGVS.**

Bis duo lustra DEO addictum me Sequana cernit:  
Hinc mihi Docturâ tempora cingit ovans.  
Rideor à vulgo: moveor nil gloria lovæ  
Atq; salus populi est unica cura mihi.  
Condo Rhenam: tollo latroas: Livo per arma  
Nostra DEO nomen dat: placidusq; oboeo.  
⊕ A. C. 1260. sepultus Gadebusci.

A 3

HEN.

HENRICVS HIEROSOLYMITANVS.

Mater erat mihi Luïgardis Hennbergia. Gallo Ludvico in Turcos signa animumq; iugo.

Sultano sum præda : annos sex atq; viginti

Servio : fortuna hæc lubrica nonne mea est?

Me, Cypri, mittit, Regina, amita inde socii

⊕ Massiljam in patriam hinc ut redeo, morior.

1302. Sepultus Doberani.

HENRICVS LEO.

Austriacum Bojema videt me surgere contra

Sylva; Leo in prædam stat velut intrepidus.

1322. Rostochium æterno redimo mihi iure; ruoq;

1319. In Brandenburgum armis: Ribniciumq; sacro.

Dos mea Stargardjum. moveo multa arma. negantè

⊕ Vxori ingressum vi occupo Wismariam.

1329. Sepultus Dobrani.

ALBERTVS. I.

Me foecer ad Bojum Rex Suecus mittit: atrox me

Latro capit redimit Cæsaris alma manus.

Carolus Imperij in membrum me Quartus adoptat,

1343. Primusq; ex Wendis Dux vocor Imperij.

Id Iulij Pargo vias vexo Ennem. Pomeranus adacti

1371. Lumburgusq; meo subdere colla iugo,

⊕ A. C. 1380.

MAGNVS. I.

I 63. Albertum ut fratrem Regem sibi Svecia poscit,  
In patrium Princeps collocor ecce thronum.

Hunc mihi Semiramis sed Danica reddit acerbum,

Dum Fratrem Svecum deicit imperio.

Grata

Grata DEO pietas, quam secula longa probabit: ⊕  
Feminea exolvit pro Duce turba λυτρω.

Magnus

1384.

IOANNES. I.

Rugica me peperit Princeps. pietatis alumnus  
Audio. Iusticiæ lux: probatis amor.  
Me Duce Rostochiuni Phœbeas surgit in arces; 1419.  
Et circum serpit Palladis ora Rosa.  
Svevus me Regem poscit, mors prævenit. orbem  
Linquo, & cœlorum t̄empla pius subeo

Aquis  
gran.

⊕ 1423 Sverini.

HENRICVS PINGVIS.

Corpore Crassus eram: non pectore crassus & arte  
Ingenium probitas, si qua futura, canet.  
Discessu Agnati Malchinum Gustroviumq;  
Robelium, & rellus Vandala tota mea est.  
Dorothee, Brandburgo Electore edita Princeps,  
Bis thalamo nostro pignora trina parit. ⊕  
⊕ Henricus pinguis A. C. 1477.

Wilhel

ms po-

strem

Vādalię

priceps

⊕

1430.

MAGNVS. II.

Ingenio atq; animo magnus sanctasq; saluto  
Terras, inq; uno stat mea cura DEO:  
Rostochij id loquitur LYNA æternumq; loquetur.  
Stargardjum Vlrici morte mihi adijcitur.  
Religio: studium recti: clementia: sanctus 1471.  
In doctos ardor: gloria tota mea est.  
⊕ 1503. 19. Kal. Decemb

ALBERTVS. II.

Frater erat Dux Pacificus: mihi Martia cordi  
Timpana: Danorum id regia capta docet.  
Testis Lubeca, armatas cui jungo cohortes:  
Inq; noyum Regem fervidus arma fero.  
A 4 Marchio 1535.

Hafni

occup

ta A. C

Marchio septemvir præstanti corpore natam  
Mi loca tãt placidus post mala fãta abeo.  
⊕ A. C. 1547. *Sepultus Dobrani.*

*IOHANNES ALBERTVS.*

Ille ego, sum pullus qui dictus Martis & Artis,  
Et genus atq; orbem dotibus orno meis.  
Sub me Relligio : schola : templa : Academia vitã  
Redduntur : Phoebus me Duce clarus : ovat.  
Inclutus VLDARICVS me Frater consilio & re  
Adjuvat; ingenio consilioq; Deus.

⊕ *Ioannes Alberius A. C. 1576. prid. Id. Febr.*

*VLDARICVS*

*Religiosus.*

*Nascitur* Me Rex Danus avum: Rex Scotus, Saxoq; & Anglus,  
Guelphus & Holfatus profocerum indigitant.  
*1527.* Iura, scholas, vidi florere & Relligionem:  
Me Cæsar magni fecit & imperium.  
Gloria summa! sed hæc mea gloria maxima, Christi

⊕ A. C. Quod colui, in vera quod moriorq; fide.

1603.

*IOANNES. II.*

Alberto Iano patri succedo: geroq;  
Fasces justiciã, religione, fide.  
Patrius Vldaricus amat me & Carolus, orbis  
Deliciã: frater me Sigemundus amat.

Prussica me genuit Patri Dux Anna Sophia:  
A. C. Exequias tristis cui paro; moxq; sequor.  
1591. ⊕ A. C. 1592.

*CAROLVS.*

Relligio: Pietas: Leges: pax: Templa: Lyccum:  
Mores ingenui: mœnia: rus & agri:

A Fra:

A Fratre Vldrico mihi salva relicta fuerunt,  
Omnia divino munere, Iova, tuo.  
O tantis Fratrem qui donis, Christe, beasti,  
Imperio augethant fac bona tanta meo!

A. C.  
1602.

ADOLPHVS FRIDERICVS

&

IOANNES ALBERTVS

Fratres.

Salvete illustres animæ! par nobile fratrum  
Salvete! magni magna propago Patris.  
Omnis in ambobus Patriæ stat cura salutis,  
Pro vobis fiunt nocte diuq; preces.  
Sic vos in laudesq; DEI patriæq; salutem  
Crescite! sic vivat CAROLVS Heruleus!



A 5 DELI-



DELINEATIO STEMMATIS CEL.

fissimorum Ducum Megapolitanorum,

Pribislaus ultimus Rex Vandalia. 1215.

Henricus Burevinus senior. 1225.

Henricus Burevinus 2. 1228.

Nicolot. Burevin. Ioannes Theol. Magdal. Sophia, Pri-  
stips pri- 1260. Princeps Regina bis-  
cipū Vada- Massilia Cypri, laus.  
lia 1277.

Henricus Hierosoly Nicolaus. Hermans. Poppo.  
mitanus: 1302. &c.

Henricus Leo. Ioannes. Filia dux.  
1329.

Albertus I. Ioannes Dux  
Filia dux. Dux Megapo. Stargardia.  
1380.

Albertus II. Magnus. Henricus. Filia dux.  
Rex Syecia 1384.  
1394.

Ioannes. 1423. Filia dux.

Henricus pinguis. Magnus. Ioan.  
1447.

Albertus. Ioannes. Magnus II. Balthasar. Filia  
dux.  
1503.

Henricus. Ericus. Albertus II. Filia III.  
1552. 1508.

Io. Alber. Anna. Vlricus. Georg. Christ. Caro-Ludo.  
1576. 1602. 1603. 1552. 1592. lus. 1556.

Ioan II Sigif. Frid. Wilh. Sophia  
1592 August. Duces Regina  
1600. Cuth. Dania.

ADOLPHVS FRIDERICVS. IOANNES ALBERTVS II.



# Vandalia.



*Um dicendi necessitatem Pronū-  
Persona mihi hoc tempore <sup>20. Apr.</sup> ciata est  
imponeret, cogitabam ec- in solē-  
quid potissimum in hanc ni 10.  
cathedram afferem, de Doctō.  
quo, more Academia, rū Phi-  
in hoc præstantissimo at- loso.  
que amplissimo doctissimo- phiz  
quæ confesso verba facerem. Aliæ autem ex promo-  
alia materiâ mihi, uti sit, subinde nascente, visum tione  
 tandem fuit; aliquid ex antiqua memoria repetere 1598.  
de Vandalicis regibus & rebus: quod eam commemo-  
rationem & auditu non injucundam futuram existi-  
mabam, neque à grati animi memoria, neque ab hoc  
tempore alienam esse intelligebam. Appropinquat e-  
nim & jam præ foribus ferè est vice simus ille secundus  
mensis Aprilis dies, quo ante annos 71. in hanc lucem  
editus est Princeps illustrissimus Vldaricus, Vandalico-  
rum Regum atque ducum propago, Pater patriæ,  
Ecclesiæ & Scholarum hujusq; Academia nutritius  
clementissimus, Germania hoc tempore Nestor, & Im-  
perij præcipuum decus. Quod si Athenienses Cecro-  
pene*

pem suum, conjugij auctorem; si Lacedæmonii Casto-  
rem & pollucem; si Ægyptij Teubum, à quo literas  
acceperant; si Itali Ianum, quem ob singularem pru-  
dentiam bifrontem fuisse confinxerunt; si Romani  
Quirinum urbis parentem coluerunt: deniq; alij alijs  
benè de se meritis eam retulerunt gratiam, ut eos post  
mortem numinibus æquatos Deos indigetes appella-  
rent: quanto magis decebit nos, ut erga eos, à qui-  
bus tantum patria commune Bonum, Princeps ille opti-  
mus, ceteriq; Megapolitani Duces Illustrissimi, pra-  
stantissima illæ anima, Domini nostri clementissimi,  
interruptâ serie descendunt, gratum animum decla-  
remus: deq; ea re publica vox etiam nostra exaudia-  
tur. Non autem totam Rerum Vandalicarum histori-  
am recensebo: esset enim hoc laboris propemodum in-  
finiti, nec huic actui, cui certè à majoribus hora pra-  
stituta sunt, conveniret, sed ex multis pauca quasi de-  
libabo: ac DE GENTE VANDALICA, quæ illa, &  
qui ipsius Mores fuerint, quantum ex Antiquitate  
mediocri diligentia consequi potuerim, dicam. Vos,  
Magnifice Domine Rector, Reverendi, Nobiles, Am-  
plissimi, Clarissimi, Consultissimi, Doctissimi viri,  
Nobilis & studiosa juvenus, vos ego rogo, ut me non  
gravatè de tanto & tam multis difficultatibus implica-  
to argumento differentem audiat. Vandalos Germa-  
norum vetustissimos esse & hunc maris Balibici tra-  
ctum inhabitasse, ex historiis constat. Et vetusta-  
tem quidem gentis Crantzii, qui ante annos 120.  
Doctorum Philosophiæ gradu ex hoc ipso loco ornatus

est,

est, & postea etiam fasces Magistratus scholastici in  
hac Academia gessit, Plinij & Taciti testimonis, &  
epistolâ quadam Vandalorum, Constantino Magno in-  
scriptâ, comprobat. Et Procopius initio Belli Vanda-  
lici, quod Belisarius, Iustiniani Imperatoris auspiciis,  
in Africa gessit, Vandalos affirmat, Gothicam gentem  
eadem usos fuisse cum Gothis linguâ. Gothos autem  
Germanicè locutos esse non dubium est. vestigia verò  
nominis in vicina Hexapoli, & in ditione Megapolita-  
na Ducatus Wenden: cujus Gustrorivium, Malchinû,  
Robelium, Warenium oppida sunt: & in Pomerania  
Ducum titulo Cassubij & Wendi, incolas vete-  
res Vandalos, vicinitate seu parva deflexione nomi-  
nis arguunt. De horum Vandalorum origine, esse  
nihil explorari iradi potest; vetus tamen opinio est,  
eaque multorum consensu firmata: Vandalos à Van-  
dalo; quem nonnulli Germanorum anno M. 2324.  
Regem faciunt; descendere. Verisimile autem est,  
totam Germanorum gentem, sive statim à dispersione  
generis humani, qua confusionem Linguarum Babylo-  
nicam subsecuta est, sive paulò post in eas orbis terra-  
rum, quas inhabitabant, partes se longè latequè effu-  
disse, & in his tandem oris Vandalicam gentem Vanda-  
lo auctore condidisse. Hi deinde Vandali, opibus &  
viribus aucti, ab hoc mari Balibico in plures terras,  
quasi colonias, exierunt. Primò enim hinc ad Maotim  
venerunt: inde rursus quodam tempore versus meri-  
diem & occidentem profecti, inter Sarmaticos montes  
& Istrum in Lazgum Metastanarum finibus, & in  
Ranno-

Pannonia, Constantino Imperatore permittente, con-  
federunt, & ad extremam oram Germania se extende-  
runt, Francosq; bello vexarunt, ijdem Corsicone Du-  
ce circa annum C. 406. ex his sedibus progressi Gal-  
liam devastarunt, & in finibus ejus Burgundos con-  
diderunt. Gunderici deinde auspiciis ( qui Gunderi-  
cus anno Christi 429. à Demone conceptus interisse  
dicitur ) Hispaniam cade ac rapinis miscuerunt. De-  
nique Gensericus Rex Vandalorum, augendi impe-  
rij Vandalici cupiditate per se inflammatus, à Boni-  
facio, Imperatoris Valentiniiani Duce bellico, excita-  
tatus, 50. millia Vandalorum in Africam duxit atq;  
regnum in alienis terris, parvis admodū copijs, adeptus  
est. Vnde effectum, ut Vandalorum gens iisdem ferè  
terminis, quibus Africa, Gallia, Histria, Dalmatia,  
Brandenburgensis ditio, Pomerania, & Mechelnbur-  
gensis Ducatus atq; Holsatia, tempore quodam con-  
tineretur. Sed regnum Africanum non fuit diutur-  
num; idemquè fatum fuit aliorum locorum, in quibus  
vires & potentia Vandalorum, ut est vicissitudo re-  
rum humanarum, in alijs atrita & comminuta, in ali-  
js afflicta atque eversa fuit. In his quidem oris, at-  
que hoc maris Baltici tractu Vandalica & gentis  
& gloria reliquie quadam remanserunt. Gense-  
ricus enim, in Africam movens, filium profecerat  
ei parti gentis Vandalicae, quam ipse, ad invadendas  
Rom. provincias profectus, domi reliquerat. Ne-  
que enim credibile est, Vandalos, sive cum ad Meo-  
tin, sive in Gallias, sive in Africam proficisceren-  
tur,

tur, ita emigrasse, ut non potius ad colonias ducerent,  
quam totam gentem populariter educerent. Quid  
enim esset populo laudis sitientissimo tam turpe, quid  
à cupiditate gloriae, quid ab omnium gentium penitus  
innata habendi & dominandi libidine tam alienum?  
quam, cum Vandali non coacti, sed sua voluntate ad-  
ducti novas sedes quaerent, eos tamen veteres, hoc  
est, terras totius Germania ferè amplissimas ita dese-  
ruisse, ut nullos ibi cultores, nullum ibi propugna-  
culum, caput nullum relinquerent. Supervenerunt autem  
ei, quam relictam domi diximus, parti gentis Vanda-  
lica tempore quodam Slavi, & se cum illis conjunxe-  
runt. Hos Slavos alij Henetos fuisse ajunt, eos,  
quos Homerus in Paphlagonia, Asiae minoris regione,  
propè Phrygiam collocat: quos inde ab Antenore Tra-  
iano, post eversum Ilium in loca mari Adriatico vi-  
cina ductos Livius initio historiae suae affirmat. Alij  
verò Slavos istos ex Alpibus, Daciam ab Aquilone  
claudentibus, hoc est, ex Sarmaticis montibus progres-  
sos esse scribunt: Venedos autem seu Henetos & ipsos  
Sarmaticam gentem esse Cromerus, Prolomaei auctori-  
tate, evincere conatur. Vt ut haec sint, illud certum est,  
Slavos circa annum Christi 500. in hunc maris Baltici  
tractum tum habitatoribus penè semivacuum irrepisse,  
& se reliquiis Vandalorum ita immiscuisse, ut vulgè  
non tantum domos inter se conjugis & stirpibus conjun-  
gerent, sed idiomata quoque & locutiones confunde-  
rent, atque ex duabus linguis diversis, hoc est, Sla-  
vonica & Vandalica seu Germanica tertiam novam,

quarè

quam Vindicam & Vinitthicam minores vocarunt, pro-  
crearent. Ex quo & hoc factum, non est alienum à  
ratione, ut nomen Vandalorum & Vandalia, genit-  
illi primæ peculiare, ab illa proprietate recederet,  
& in nova illius lingua populo, & his ad mare Bal-  
thicum terris hæreret. Suntq; ex eo tempore iidem  
promiscuè appellati Vandali, Henei, Vendi, Vindi,  
Wenhi, Venedi, Findi, Winuli & Slavi. Neq; ta-  
men nova lingua effictione Germanicam plane aboli-  
tam fuisse, existimandum est. quin credibile est, idq;  
ex comparatione similium eventuum colligi potest; in  
præcipuis familiis, maxime verò in domo Regia usum  
Teutonici sermonis remansisse. Alitè desixum hæret,  
quod nativum est: nec levi arte aut consuetudine, in  
generosis præsertim ingenis, vincitur, quicquid in-  
fixum, quicquid, domesticum atque ingenitum est. Est  
autem nonnulli in ea sunt opinione, Slavos & gentem  
& regnum novum post Vandalorum migrationem in  
his oris condidisse: tamen cum ij nec Ducem certum  
nominent, nec quibus illa auspiciis gesta sint, comme-  
morent; potior videtur eorum ratio, qui existimant,  
usque ad Gensericum (quem ne Slavi quidem suum  
agnoscunt, sed Vandalis largiuntur, & post cujus  
tempora confusionem istam, de qua dixi, factam esse,  
temporis supputatio demonstrat) usque, inquam, ad  
Gensericum universas res Vandalicas penes unum qua-  
si Monarcham fuisse: Gensericum autem Regnum in  
Africa constituyente, eoq; anno Christi 477. mortuo,  
administrationem inter filios GensERICI divisam fuisse,

ita ut Honorico regnum Africa, Visilao verd & successoribus ejus Vandalorum primò; deinde Vindorum in his terris Principatus cesserit. Qui tamen ipsi Vindi, seu, ut nos eos ex commixtione Slavorum & Vandalorum novo deducto nomine appellamus, Slavovandali, successu temporis à Saxonibus planè attriti, & in angustias quasdam Marchiæ veteris, Lusatiæquè tanquam in ergastulum compacti, hodie ad tantam solitudinem, tantamquè in servitutem sunt redacti, ut verè rerum humanarum conversionem humana propè majorem in ijs agnoscas. Hæc autem Slavovandalia in quatuor divisa fuit omnis partes, in Septentrionalem, Orientalem, Meridionalem & Occidentalem. Ac Septentrionalem Vandaliam voco, quam complexi sunt tum Insulani, hoc est, Rani seu Rugiani, & Fimbri, tum Teutonarij, ubi nunc Rostochium & Wismaria florent. Orientalem appello, quam Pomerani & Kisini, forte in Comitatu Gutzgoviensi, & Lebusij: & Tolentij ad fluvium homonymum Neobrandburgum & Treptovium alluètem: & Circipani ad Panum fluvium, in cujus ripa sunt oppida Malchinum, Deminum, Anclamum, Wolgastum: & Rhetarij ab urbe Reibe, quæ fortè hodie Robel est. quos populos, hoc est, Circipanos, Kisinios, Tolentios, Retharios, à fortitudine bellica Wilsios seu Lutitios appellatos fuisse Crantzius auctor est. Australem tenuerunt Heruli sive Eveldi ad Havelum: & Bryzani, forte nunc Prignitij, quorum metropolis Perleberga: & Wilini & Stoderani

B

rani



vani ad Berlinum & Brandenburgum. Occidentalem denique Warnavi ad fluvium Arnun seu Varnum, ubi nunc sunt Sternberga, Butzovium, Cygnica; & qui à versicoloribus vestibus ita dicti fuerunt, Obotrite, quasi dicas, die bunie Nocte / quorum Metropolis Mechlenburgum uno à Wismaria meridiem versus milliario, à qua Metropoli Megapolitani & hæc ditio Megapolis, seu potius Mechelnburg dicta est: & Polabi ad Raxeburgum: & Wagrij ad Lubecam & Aldenburgum. Desinivi, Auditores, & quidem rudi Minerva, quod dicitur, desinivi Vandaliam: eamque suis quasi partibus distinctam vobis uno intuitu spectandam proposui. Nunc, quod in hujus orationis dictione secunda erat propositum; De hujus Vandalie moribus, hoc est, Religione, Iustitia & Fortitudine pauca attingam. Itaq, quod ad Dei cultum attinet, à ratione haud alienum est, primos Vādalos propius à vera religione abfuisse. Quo enim res quæque ortui est vicinior, eò est sincerior. Vt autem fontes limpidi, quò longius procurrunt, eò lutulentiores fiunt: ita Vandalorum Religioni idem accidisse putandum est, ut quando ea recederet à patrum temporibus longius, tanto majori humanarum opinionum cæno inquinaretur. Sic oracula illa vetustissima, Hammonium in Lybia, & Dodonæum in Græcia in initio Scholæ fuerunt sanctorum Patrum, quæ postea degeneraverunt & domicilia Satana factæ sunt. Et si autem Idololatria totum orbem Borealem quondam inundaverat: tamen inter Boreales Slavovandali fuerunt

fuerunt cultui idolorum omnium pertinacissime af-  
fixi: ad quam rem plurimum potuisse suspicor illam  
gentis antiquae Vandalicae cum Slavis idololatriis con-  
fusionem, Ae dolendum quidem est, depositum illud  
vera doctrina tam mala fide cum à ceteris gentibus;  
sum à Vandalis asservatum fuisse: cumquē cælum &  
terra, aer & mare Deum creatorem loquantur, ta-  
men gentes à creatore ad creaturas, à DEO ad Dia-  
bolum defecisse. Nempe mens humana, ut semel à  
Deo aversa est, & veritatem mendacis permutavit,  
non potest aliter facere, quin pro libidine illa sua  
infinita Deorum multitudinem sibi excogitet & fin-  
gat. Itaque alij alios Deos coluerunt. Romani penè om-  
nes. Astaroth Tyriorum Deus erat: Astarte, id est,  
Luna, Damascenorum: Dagon Philistinorum: Baal,  
Chaldaeorum: Moloch; Moabitarum. Sic Sveones olim  
Thor coluerunt, qui aeri praeset & tempestatibus; &  
Wodan, qui bello; & Fricco, qui paci & voluptati.  
Scythae, Acinacem: Cheronenses, hastam Iovis: No-  
rici Tibelinum seu Diabolum. & Rusti hodie metuunt  
& colunt Daemonem meridianum, cujus Psal. 91. fit  
mentio, & quem alij, vel quod uno incedat pede, vel  
quod alterū pedem aneum habeat, εμπαυσαρ vocant.  
Et Hispaniolensibus Indis Idolum fuit quadrupes, in-  
star canis, quod, ut fertur, quoties illis bitū commo-  
ta erat, in saltus ac montes aufugeret: ipsi verò In-  
di solemnī pompa sollicitè questitum atque inventum  
egregium illum DEVM humeris in fanum reporta-  
bant. Apud eosdem Regulus quidam, Gamareus no-

mine, Zemis idolum bombycinum habuisse commem-  
moratur. Corocottum appellabant. Hic Corocot-  
tus è summo domus culmine, ubi vinctus asservabatur,  
sepenumero exire atque inter feminas regij pagi ac  
totius circa vicinie, Satyri aut incubi instar, ober-  
rare, & cum iis etiam ludere familiariter & epula-  
ri, nonnunquam propter dormire consueverat. Mox  
cum ab eo congressu feminæ partus geminâ coronâ in-  
signes eniterentur, nemo ex Corocotti stirpe ortos  
esse dubitabat. Prius dies me deficeret, quam o-  
mnium gentium Idola enumerando persequeretur.  
Slavovandalis autem nostris duo fuisse Demonum  
genera animaduerto, Bonum & malum. Ut enim  
Manichæi, ita Barbari omnia secunda à Bono DEO,  
adversa à malo, quem sua lingua Zernebog appel-  
labant, suelre & administrari nugabantur. Itaq; in  
conviviis & comotationibus suis paterâ certis verbis  
consecrabant, non, quemadmodum olim Athenienses  
εὐχαρῶν δαίμων & tantum, sed utriusque genij &  
Boni & mali nomen præfati; omnemquæ prosperam  
fortunam à bono Deo, adversam à malo Deo pete-  
bant. Bonorum deinde Deorum alij erant Majo-  
rum gentium, alij minorum. Inter illos numero  
Suantovitum & Pronen, Radigastum & Siven. In-  
ter hos refero Faunos & Penates, & ceteros Dea-  
stros, qui erant numero infiniti. SVANTOVI-  
TVM, Regem quasi Demoniorum, Rugia habebat,  
ejusque sanum primum, ipsaque statua in Joren-  
tissima quondam urbe Arcone erat. De hujus Idoli

origines

origine hæc memorantur. Temporibus Ludouici secun-  
di Imperatoris quosdam Corbeienses Gal-  
los in Rugiam venisse, atque ibi nomen Domini præ-  
dicasse: & in honorem S. Viti, quæ erat ejus tem-  
pestatis superstitio, erexisse templum. Credisse ali-  
quandiu Barbaros, sed mox ad vomitum reuersos  
cultum DEI in cultum Dæmonis commutasse. Hoc  
idolum SVANTOVIT appellatum esse; cui  
templum & simulacrum splendidissimis sumtibus bar-  
bari dedicarunt. Idolum autem tale fuit. Ingens erat  
in eade statua, quatuor capitibus, totidemquæ cervi-  
cibus: à quibus duo pectus, duo tergum respiciebant.  
Dextera status cornu meri plenum tenebat, ex quo  
flamen future aut ubertatis aut sterilitatis agrorum  
conjecturam faciebat: sinistra arcum, eaque ad latus  
inflexa, barba rafa, crines attonsi erant. haud pro-  
cul inde frenum cum sella & ocreis gladioquæ suspen-  
sa conspiciebantur. Fuitq; hæc statua non unius ali-  
cujus oppidi, aut provincie, sed omnium Slavovan-  
dalorum oraculum: cui tantum venerationis tributum  
est, quantum omnium penè Deorum Majestas com-  
plecteretur. Ei post lectas fruges annua stata sacrificia  
persolvebantur: ei libamina offerebantur sole-  
mnia, non privatis singulorum, sed publicis totius  
gentis sumtibus: Ei sanguine hominis Christiani, ad  
lanienam illam & tantum scelus forte delecti, quat-  
annis maxima populi frequentia, inter tympana &  
plausus litabatur. Mira erat Flamini tanquam re-  
gis veneratio: mira & propemodum apud Barbaros

inaudita erga ipsum idoli fanum (cujus neque ambitum, neque ostia, neque aream violare & cōtaminari fas erat) observantia: mira & alia. de quibus Saxo lib. 4. Historiæ Danorū, & Cranzius lib. 5. Vand. c. 12. PRONE Deus erat Altenburgensium. Forte *περόνια* Grecorū, hoc est, Natura, quæ, ut Cicero ait, nihil aliud est, quā nomen Dei, & divina ratio toti mundo eiusque partibus insita. Hec enim à gentibus nunc *πρω* & *αυρα* veluti author omnium dicta est, quod universa præstet, & conficiat: nunc *ειρα* & *μενη* ob implicitam causarum seriem: nunc *ανα* & *γνη* ob inevitabilem eius atque inexpugnabilem potentiam: rursus *μορε*, quod alij aliud ingenium dispersita sit: nunc *αρεω* & *ω*, quod eius immutabilia sint opera: nunc *περω* & *μενη*, quod ejus administratio ad certum finem tendat: *περω* denique, quod ejus providentia hominum utilitati serviat. Hec inquam *περω* serie PRONE est Altenburgensium. Idolum erat columnæ impositum, altera manu vomerem, ad quem Innocentia; quemadmodum ad crateres Palices olim periuria; explorari solebat, altera vero hastam cum vexillo tenens: tempora coronis reddimitum, auribus prominentibus, pedes ocreatum, & de alterius calce tintinnabulum suspensum habens. RADAGASTI sedes & Fanum erat in oppido Rhetre. Simulacrum ejus ex auro conspiciebatur, juxtaque lectus ostro stratus. Pectus idoli clypeus, nigrum bubali caput ostentans, tegebat: manum securis militaris armabat: capiti avicula insidebat. His Demon

in op-

in oppido, ut dixi, Rhevre colebatur. Quare & Rhadegast dictus est, quasi dicas Spiritum Rhevre. Gast enim lingua Slavonica Spiritum significare dicitur. Ipsa civitas novem habebat portas, lacu profundo undique inclusas. Pons tantum unus, isque ligneus ad urbem ducebat euntes: per quem tantum nemi, nisi sacra facturis, aut responsa petituris iter concedebatur. SIVE deniq, quam Venerem aliqui interpretantur, Polaborum Dea erat. Hec visebatur manibus post terga reductis: in quarum altera aureum malum, altera uvas virenti pampino adherentes gestabat. Fuisse & alia Slavovandalorum numina, sed mediocrima. itaq, ea lubens pretereo. His autem omnibus Demonibus dicati erant Flamines, & Sacrificia constituta, multiplexq, & varius cultus divinus fiebat. Solennitates & festos caterorū Deorum, præter Suantovitum, dies, ad sortis jactum Flamen denunciabat: ut quem talis vellet, ejus Demonis sacra peragerentur. Confluebantq, tum viri pariter & femina, nupti & in-nupti, etiam infantes, mactabantque Diis suis hostias bouum & ovium: non raro etiam homine Christiano faciebant, cujus sanguine Deos suos imprimis delectari jactitabant. Cesa hostia, sacerdos cruore victima se lustrabat, idq, eo, ut esset aptior captandis oraculis. Peractis tandem de more sacrificiis, populus ad epulas & lusus choreasq, convertebatur. Atq, in his Iâolatria densissimis tenebris diu Slavovandali jacere: donec eos DEVS tandem inde in lucem aliquam re-rrioris doctrina vocaret. que quidem ipsis primò sub

Carolo Magno, circa annum Christi 789. illuxit. Verum varia fuerunt Religionis & admiranda in hac gente vices: quod partim pravitate accidit, quae omnium hominum cordibus quasi innata & ingenerata est: partim infinite habendi cupiditati eorum, quorum auspicijs Barbari ad Dei agnitionem pervenire debuissent, expensum ferendum est. Itaq; paulo post Slavovandali, quam Christo nomina dederant, fide iterum nefarie projecta, ad Idololatriam & Demorum cultum relapsi sunt. à quo tamen Henricus Imperator eos denuo revocavit. Sed hoc mortuo ad vomitum redierunt. Ab Ottone igitur Magno tertium de idololatria armis dejecti, & ad suscipiendam Christianam religionem vi compulsi sunt. Suntq; sub hoc tempus primum templa per Vandaliā exstrui coepta: & Episcopa constituta, & Aldenburgensis, cujus primus praeses Marco Vagriorum & Oborritarum quam plurimos Domino lucratus est: & Meglenburgensis in celeberrimo quondam oppido Megalburgio, quae tamen postea Suerinum translata est. Imperabat hac tempestate Vandalis longè lateq; BILLVNGVS, eratq; regni ipsius sedes Megalburgi. Hic Billungus se quoq; ad piorum cœtum adjunxerat, baptisatus à Vvagone, tertio à Marcone Aldenb. Episcopo. Sed victus deinde & impulsus improbis filij Mizislai & peracerbis monitionibus, culpantis patrem, quod tanquam insaniret ita novis & non necessarijs inventis (hoc enim nomine Mizislaus Christianam doctrinam vocabat) deditus esset: idololatria iterum se mancipavit, non quidem

quidem sine ingenti novellæ Ecclesiæ jacturâ. Similis  
fortuna Religionis fuit succedentibus temporibus,  
quibus veritati Christianæ summam per Vandalorum  
impietatem, omnia inimica atq; infesta fuerunt. Bil-  
lungi abnepote Godescalco ad gubernacula reip. seden-  
te, visa est respirare Religio, & quodammodo recrea-  
ri. Godescalcus enim primò Luneburgi in fide Chri-  
stiana & bonis artibus instructus, mox cæde patris  
Vdonis irritatus apostata factus, tandem iterum fidelis  
Christianus, totam penè Vandaliæ Christo acquire-  
bat, tantoq; religionis studio exarsisse dicitur, ut sa-  
pius sua voce populum pro suggestu publicè ad pietatem  
& veram Dei agnitionem hortatus fuerit. O pietas!  
ô rarum amoris Dei exemplum! Visa est, Godescalce,  
te & Duce & Doctore, Veritas gestire & blando vultu  
renidere, quod tantis incommodis hæctenus debilitata,  
tua tandem pietate recrearetur. Verum ut nihil est  
in rebus humanis sinceri, ita neq; tibi neq; veritati  
sincerum hoc gaudium fuit. Fingit Aristophanes in  
Comœdia, qua inscribitur εἰρην, rusticos Græcos,  
pertecos belli Peloponesiaci, stare eo loco, ubi pax  
abdite latebat, & conari admotis machinis eam inde  
extrahere, & velut ab Orco revocare. Cum autem  
lati spe pacis recuperanda exsultarent & vociferaren-  
tur, Trygæum quendam sic loquentem facit: Nolite  
bonam rem malè agendo corrumpere, & cavete, ne ve-  
stros clamores Cerberus ille (ita enim Cleonem, civem  
quendam in Attica republica turbulentissimum Poëta  
appellat) exaudiens hoc præclarum institutum edu-

B v cendi.



cendi ex latebris Dearum optimam impediatur. Verè  
idem factum est religioni Christiane, cui inter Van-  
dalos progressus felices Cerberus ille stygius invidit,  
atq; adeo ipsam loco populit, excitatis perfidis Slavo-  
vandalis. Hi enim Godescalco regi suo manibus suis  
vim attulerunt, & Heroa illum, utrumq; & Princi-  
pem & doctorem optimum, Leonij ad summam aram  
inaudito parricidij scelere jugularunt. hi conjugem  
Godescalci Syritham, Sueonis secundi, Regis Dania,  
filiam, Vlfonis Ducis Anglicani neptem, feminam pie-  
tate & religionis amore flagrantem, omnibus fortunis  
atq; ornamentis spoliatam, & vestibis fedè detractis  
nudam, præcipitem regno exturbarunt, & tandem sic  
afflictam atq; deformatam communi luce privarunt.  
hi Anshelmum Episcopum Raceburgensem cum Cano-  
nicis muliebria (dictu nefas & horrendum) pati coege-  
runt: Megapolim urbem, & alias quamplurimas,  
quæ hospitia erant nascentis Ecclesie, tanquam vi-  
neam apri, vastarunt, ceteraq; per Vandaliæ immu-  
nera ita libidinosè, ita nefariè egerunt, ut non ho-  
mines, sed Barbaros, non Slavos sed Diabolos ad fla-  
gellandam novellam Dei Ecclesiam egressos fuisse di-  
ceres. Etsi autem Buthue, post patris Godescalci ca-  
dem, ad Ecclesie vulnera alliganda omne studium  
omnemq; operam convertebat, tamen tantus fuit Sla-  
vovandalorum furor, ut Critonis Rugiani, hominis à  
se alieni, crudelissimi tyranni, Idolorum cultoris,  
jugum in se reciperent; Buthuen autem Regem suum,  
Principem humanissimum, verè de Deo doctrinæ  
asserto-

assertorem, non tantum regno perfidè exigerent, sed etiam in castro Plœnensi, cum à Critone obsidione pressus, cum fame & hoste confluctans Buthue, ab amicis non sublevatus, omni auxilio destitutus, deditionem certis conditionibus fecisset; contra tamen fidem datam crudeliter, & barbarie plusquam Scythica contrucidarent. Tandem Pribislai nostri, nepois Buthues, principis præstantissimi, virtute effectum est, ut multis injurijs jactata atq; agitata veruas Christiana locum in his terris inveniret, ubi consisteret & confirmaretur. Dixi de Religione Vandalorum: Nunc justiciam eorundem eadem, qua cepistis benevolentia, accipite. Etsi autem unà cum Pietate justitia quoq; à barbaris Slavovandalis exulare alicui videri possit, tamen non planè exulavit. Quæ quidem judicia Vandalorum fuerint ab eo tempore, quo Slavis primum permixti scribuntur, hæcenus non reperio. Verisimile tamen est, Slavovandalos, cum & inter se conversati fuerint, & convixerint, & negociationes exercuerint, suum inter se cuiq; reddidisse, neminem læsisse, honestè, quantum in ipsis esset, vixisse. Quæ enim diuturna societas esse potest, si socio suum eripias, si omni scelere socium vexes, si omni prorsus pudore extincto ferveas feraris cupiditatibus & libidinibus? At justitia mundi & regnorum & urbium vinculum est. Ea summa cum infimis, mediâ cum utrisq; connectit, conservat, conciliat. Ea Deorum honori, hominum commodo potissimum

num inseruit. Quare existimandum est, Slavovandalos etiam justiciam inter se coluisse. In quo eos quoque officio cum Deorum gentilium, imprimis Vomeris illius Pronci metus, tum parvi mentis nostrae igniculi continuerunt. Neque enim credibile est, hanc gentem planè à Majoribus Vandalis ita degenerasse, ut obbrutuerint. quin exploratum est, semina virtutis avitæ in Slavovandalis nostris quodam reliqua fuisse, quæ ipsi domestica disciplina tanquam cultura quædam exsuscitaverint: idque haud levibus studij veritatis, & singularis in parentes, & eximia cujusdam in hospites humanitatis, argumentis probari potest. Quid enim tam usitatum est gentibus, quam promissa & dicta divino adhibito numine firmare? Romani interdum per Castorem, ut femina; interdum per Herculem, ut viri; interdum per Pollucem, ut viri pariter & femina deierant. Vnde illa in Comædiis pervulgata, Ecastor, hercle, mehercle, mediusfidius, pol, perpol. Interdum Romanus solemnia juraturus, silicem lapidem manu tenens agebat, si sciens fallo, tum me Diespiter, salva vrbe atque arce, bonis eiciat, ut ega hunc lapidem. Sic Thebani per Osriden: Siculi, per Proserpinam: Pœni, per patrios DEOS: Epidaurij, per Semelem: Ægyptij per allium, porrum & cepas: Græci per terram, & fontes: Philosophi, per Socratem: Polyphemus Cyclops, per unicum oculum suum, qui videret omnia, semperque visurus esset: Æthiopes per defunctos, alij per alia jurabant. Et quid nobis Christianis ita tritum, quam deierare? quid ita frequens,

frequens, quam peierare? Narrant aliquando Iuda-  
um cum Christiano disputasse, & diu habita disputa-  
tatione, tandem Iudæum dixisse: Quis sit, quod plu-  
res claudi, cæci & mendici inter Christianos reperi-  
untur, quàm usquam inter gentes? Christiano respō-  
denti se ignorare, dixit ille: Christiani nimis perjuriis  
offendunt Deum suum magis, quam ulla alia gentes,  
ideo etiam magis puniuntur à suo Deo propter periurias  
& blasphemias. Et certè periuria valdè usitata sunt,  
his præsertim moribus, quibus antiqua officij ratio ferè  
exolevit, & juramenti luditur, non secus, atque pueri  
astragulis aut spherulis solent. quanquam is astragulo-  
rum inter pueros etiam lusus desijt, quos contra au-  
dias post tertium quodque verbum indigno Christianis  
modo deierare & peierare. Sed quid Slavovanda-  
li? Equidem juramenti non utabantur: nec ipsi  
jurabant, neque alios cogebant: satius esse reban-  
tur servare sine juramento fidem, quam datam fal-  
lere magna Deorum ultione. Tanta erat hominum  
etiam barbarorum integritas! tanta in dictis & factis  
servandis sinceritas! quam si ad præscriptum Christi,  
quod est Mat. 5. examines, an non ea propè videbi-  
tur ad illud accedere. propè dico, quia quodcumque  
non sit ex fide, peccatum est. & omninò inter Eihni-  
corum virtutes, & bona piorum opera distinguen-  
dum sentio. Annon autem hoc est argumentum  
avite alicujus virtutis? an non alicujus iusticiæ civi-  
lis in Slavovandalis nota, eaque non obscura? Nec  
verò tantum hoc in Slavovandalis laudem iusticiæ  
meretur

meretur, sed in primis PIETAS illa hujus gentis in  
parentes, omnium voce omniumq; judicio simulacrum  
est virtutis, suum cuiq; tribuentis. Nefas erat Slavo-  
vandalis, adeoq; scelus morte piandum, si liberi pa-  
rentibus jam senio affectis mutuam gratiam pro nu-  
tritione, summa cum benevolentia & alacritate, non  
referrent. Quare autem nefas? nempe ita jubebat  
justicia: ita volebant mores patrij: ita dictabat Lex,  
non quidem <sup>ex</sup> <sup>te</sup> <sup>aus</sup> Lycurgi, sed tabulis cordis nostri  
inscripta. quam quidem legem natura sola ciconia in-  
ter omnia bruta tuctur, ut est apud Aristoph. in avi-  
bus, & Suidam, qui auctor est, antiquitus in regum  
summo sceptro ciconie figuram poni solitam, ut ipso  
gestamine admonerentur Reges, PIETATEM pluri-  
mi facere oportere. Cetera vero animantia pleraq;  
infami astorgia laborant. Hippopotamus interfecto  
patre, matrem init. Vipera, exesa matris alvo, in  
lucem prorumpunt. Scorpiones & Aranei post in-  
subatus officium à suis fetibus interimpuntur. Cucu-  
lus, ubi adolevit, pullos reliquos cum matre curruca  
devorat. Sed quid Bruta dico? Inter ipsos ratione  
peditos homines, quibus hoc altius & rectius etiam  
natura inscripsit, ut omnibus pietatis officijs colant  
atq; foveant parentes; inter hos, inquam, homines  
quot invenias, qui hanc legem sequantur? qui non vi-  
perarum potius, quam Ciconie similes esse malint?  
Nero matrem: Selimus Turca patrem trucidat: Tul-  
lia, conjunx Tarquinij, in cadaver etiam interfecti  
patris savit. Adde his Absolonem, venustulum illum  
filium

filium, patrem regno exturbantem: & Aristobulum  
Hircanidem, matrem squalore atq; inedia necantem.  
Quid multis? Omnes scena, omnia amphitheatra,  
omnes historiae & scenarum exemplis personant. Et ho-  
die, quam multi sunt, etiam inter Christianos, Absa-  
lones? quam multi Hircanides? Sed omnium gravis-  
sime tamen in Parentes peccare mihi videntur Anthro-  
pophagi, qui parentes senio confectos mactant & de-  
vorant. O immanissimam immanitatem! o barba-  
riem, plus quam barbariem! quos vultu etiam ab alijs  
laesos defendi à filijs decebat, ijs filiorum manibus vix  
inferri! quos lingua ferire nefas erat, in eos ferrum  
& dentes à liberis acui! stringi! quibus vita funditis  
funus duci lex naturae flagitabat, ad eorum corporum  
partes laniandas atq; distrahendas, liberos, tanquam  
carnifices, convenire! quos honestè sepelire & terræ  
mandari, monumentoq; quodam cohonestari convenie-  
bat; ijs liberorum linguam, pro feretro, ventricu-  
lum pro tumulo, labia pro cippo fieri! Quod si leges  
honestæ supplicium in Parricidas singulare excogita-  
verunt; quæ justa nex inveniri poterit sceleri, cui ne  
nomen quidem hæcenus justum inventum est? quo  
supplicio excarnificandi erunt Anthropophagi illi,  
quibus etiam pietas quædam est, à filio parentem truci-  
dari; neq; tantum trucidari, sed dentibus im-  
manissimis concidi; neq; tantum concidi, sed  
intra præcordia recipi atq; devorari? Slavovanda-  
lorum contra mihi Pietatem aspice. Ethnici erant, &  
barbari, non min<sup>us</sup>, quàm Anthropophagi, ab omni huma-  
nitate

uitate alieni existimati. Neq; tamen quisquam eorum  
inuentus est tam insignite improbus, tam sceleratè im-  
manis, qui violare parentes vultu aut verbo auderet,  
nedum ut propter quos hanc lucem aspiceret, eos in-  
dignissimè luce privaret. quin potius illi ipsi Vandalis  
meminerant ἀνπαλαργυρίου: neq; tantum hoc me-  
minerant, sed, veluti ciconiæ, parentibus senio con-  
fectis reipsa testatum illud faciebant. O humanitatem  
in barbara gente stupendam! Homines vera de Deo  
doctrina imbuti, tamen parentes sapè regno aut vita  
exuunt, aut injuria afficiunt; Barbari, à religione  
alieni, parentes omni benevolentia & amore prose-  
quuntur. Anthropophagi parentes, ne diutius secum  
eos ferre necesse habeant, è medio sceleratè tollunt &  
devorant; barbari Slavovandali, ut conspectu paren-  
tum jucundissimo quàm diutissimè frui, utq; amicissi-  
mum illum genitorum suorum vultum quàm sapissimè  
subire possent, omni opera, omni studio, omnibus pie-  
tatis officijs efficiunt atq; enituntur. Plura justitia &  
avita virtutis argumenta in hac gente extitisse, nullum  
dubium est: quæ profectò posteris perspectiora essent,  
si, quemadmodum Romanis & Græcis, ita sui Slavo-  
vandalis fuissent scriptores, & gloriæ ad posteros pro-  
pagatores. Vnum adhuc recitabo, quanquam illud  
non planè sincerum invenio; Benevolentiam dico erga  
hospites: quam Pindarus laudans, ego, inquit, non  
expeto magnas divitias habere domi conditas, sed præ-  
senti copia frui, & amicis benefacere. Hujus hone-  
stissimæ sententiæ exemplum in Slavovandalis habe-  
mus:

mus: qui advenientes soliti sunt amice complecti.  
Neq; enim planè, quod Ptolemæus quidem scribit, hoc  
mare Balticum fuit ἄξιον. Non fuit. Sed Vandali  
in excipiendis hospitibus populariter alacres fuere,  
hospitium advenientibus, etiam à superstitione sua alie-  
nis, ultrò offerentes. Quam humanitatem tanti fece-  
runt Barbari, ut si quis peregrinum hospitio expulisse  
deprehensus esset, in eum gravissimè ceteris more pa-  
trio animadvertere liceret, & domum ejus atq; facul-  
tates vel diripere, vel incendio consumere. Excla-  
marem hic, & plerorumq; Christianorum inhumani-  
tatem detestarer, si Vandalis sincera hac fuisset virtus.  
hoc enim scavitatis fuciq; in se habuit, quod, quantum  
in hospites quisq; largiretur, tantum ei ex navigan-  
tibus, depredationibus consequi liceret. Bonus qui-  
dem effectus mala causa, sed qui nullo ferè colore ex-  
cusari potest. Tempora tamen ita tulerunt: & vicinis  
Slavovandalis noxij Danica gentis mores (apud quam  
tùm Piraticam non minus dedecori fuisse Cranzzius  
scribit, quàm apud Lacedæmonios olim erat ingenio-  
sum furtum, aut patrum memoria apud quosdam  
Germanos latrocinium) quodammodo Slavovanda-  
los excusant. Ita enim fit: quemadmodum sæpè na-  
vigantes fluminis secundi impetu, etiam quò nolint,  
abripiuntur: sic non rarò tempestates & vicinitatis  
mores nos secum, etiam invitos, aut certè impruden-  
tes, quò nolimus abripiunt. Dixi de Religione &  
Iusticia Slavovandalorum. Nunc ad tertium accedo,  
hoc est, ad FORtitudinem. Ero autem brevior & sum-

C

ma tan-



ma tantum sequar fagista rerum, ne, dum orationem  
instituumus, commentaria exeant: neve excitatam atq;  
arrectam vestram audiendi diligentiam atq; humani-  
tatem tadio quodam prolixitatis imminuam atq; la-  
dam. Itaq; silentio involuam ea, quæ Anthyrius  
sub Alexandro Magno egregia facinora perperrasse  
dicitur. Nec dicam Marcomannos, qui & ipsi de  
gente Vandalica fuerunt, teste Tacito; nec bellum Mar-  
comannicum, quod rerum magnitudine & difficultate  
bella Punica si non superat, certè equat: ad quod con-  
ficiendum totius Imperij Romani, tunc maximè flo-  
rentis, vires longè impares fuisse, testantur fulmi-  
na, precibus Christiane Legionis, quæ postea x̄c̄ ego-  
σοβόλ & dicta est; ad prosigandum hostem Marco-  
mannicum excitata. Mitto Galliam, mitto Hispa-  
nam, mitto Africam totam: quas orbis partes Van-  
dalica gens quondam occupavit. Taceo Stilliconem,  
illum Theodosij Magni generum, de quo olim dictum  
est, stante hoc viro sterisse, cadente eodem, cecidisse  
Imperium Romanum. Prætero Odoacrem terrorem  
Italia, orbis fulmen. Prætero & alia plena majestatis,  
plena immortalitatis facta, quorum omnium gloria  
propria esse videtur Vandalorum, cum nondum Sla-  
vis essent permixti. Quæ tamen ipsa fama, qui  
rerum preclarè gestarum splendor ita Vandalis est  
proprius, ut cum nostris Slavovandalis commu-  
nicare necesse habeant, tanquam cum ijs, vel qui ex  
Vandalica gente antiqua, ceu stolones quidam, enati  
sunt, vel certè qui avita virtutis vestigijs summa cum  
laude

laude infiterint. Etenim virtute & rebus bellicis Slavovandali nostri proavis suis Vandalis nihilo fuerunt inferiores. Testantur id Saxones, quorum feritatem Carolus Magnus non nisi Obotritarum & Megalburgensium armis perdomare potuit. Testantur id Ottonum trium tempora, quibus cum iisdem vario & ancipiti Matre pugnatum est: testantur id Castra Imperatorum, quibus Duces non raro hæc gens exiit. testantur denique id genus alia sexcenta, quæ à Slavovandalis sunt fortiter & animosè gesta, de quibus alio loco dicendi se campus uberior offeret. Habetis, Auditores, Primò de Vandalica gente, quæ sit illa, & quibus initiis progressa in plures familias, tanquam in ramos arbor, se diduxerit: ex quibus Africana læta initia habuit, tristem exitum: ea, quæ in patria restitit, rem tandem cum libertate amisit. Deinde habetis, qui fuerint Vandalorum mores & instituta. Hujus Vandalia Rex fuit P R I B I Slaus secundus, ille inquam Pribislaus, à quo cum ceteri Illustrissimi Megapolitani Principes, tum VLRicus Dux, clementissimus hujus Academiæ cum ceteris nutritus interrupta serie descendit. In quo, uti ab eo cepit, ita ut desinat hæc dictio nostra, hoc præsertim tēpore, & priù est & decet. Te itaque, fili Dei, rogamus, ut Illustrissimū Principem & Dominū nostrum Vlicum, cum reliquis Megapolitanis Ducibus in multos annos conserves, & perendinū diem, qui ipsius Celsitudini natalis est, felicè & prosperū sapissimè Cel ipsius recurrere facias. Tendit ad te manus Germania, tendit Megapolis, tendit

• hac civitas, tendunt hi parietes, intra quos hoc die,  
publica hujus Academiae laetitia, actum hunc promo-  
tionis celebramus, & tibi suum Nestora, tibi suum  
Dominum, tibi suum Parenem, tibi suum Nutritium  
commendant. Age pie Christe perge, cum totam  
Illustrissimam Ducum Megapolit. familiam, tum hunc  
optimum Principem tueri, eumq; in hac senecta mani-  
bus tuis sustentare, ut sub ejus Celsitudinis patro-  
cinio Ecclesia incolumis sit, Pax & Ju-  
stitia floreat, & cives sint quàm  
diutissime beatissimi.



ADO.

ADONYMA.

ECLOGA in obitum Illustrissimi atq; opti-  
mi Principis ac Domini,

D. CHRISTOPHORI,  
Ducis Megapolitani.

Melibæus Alexis.

M.



Ostrum, aries, ò delictum, benè pasce-  
re lætis  
Campis, Dux pecudis: Victor nuper-  
rimus inter  
Cornigeros! Serò ad caulas cum  
conjugè multâ,

Tempora florenti ferto hinc redimitus, abibis. (æ.

A. Plangite nunc planctū Dryadēs: nunc plangite Mu-

Plangite nunc planctum Fauni, nunc Drome cicuram,

Libratam ex lauro, mæstâ super arbore pone,

Tuq; ferum duro ferrum qui pectore gestas,

Mars ferrum assiduo gemitu muta lacrymisq;

M. Hoc me donabat ferto mea Baucis, opacas

Cum residens inter myrtos tibi, Mopsē, canendo

Te major, panem auferrem, panspermian, utrem,

Et victor Musis libarem. quod tibi, nostri

Dux gregis, impono. vah, quantum in cornibus istis

Est instar! Dij te fervent pecorisq; magistrum!

A. Nunc ab frondosis suspendite nablia ramis,

Nunc lyra surdescat, taceant nunc tympana, tempe

Aurea nunc tonsis sordescant floribus, ipsum

Ver, aliâs cinctum quod stat florente coronâ,

Ferrea producat nunc tempora, ferre us ipse

C 3

Sit

Sit polus, & rigidum Titan nunc proferat annum.  
 Dum meus occubuit, dolor ! hei dolor ! ignis Adonis.  
**M.** Aspice ludentes hædos cum matribus, agnas  
 Cum patribus ! quanto concurrunt impete tauri,  
 Tityre ! pugnantés quin dividis. aspice aratro hunc  
 Infuetum taurum pedibus quàm spargat arenam ?  
 Christe gregem serua : seruato armenta. Sed ille  
 Quid sibi vult planctus ? quid lamentario ? quid vè  
 Infoliis, voces, quæ quæstibus aera complent.  
 Quamquam quid miror ? nunc omnia regna labore  
 Atq; dolore gravi stagnant. concordia fratrum  
 Quàm rara est ? videas bello concurrere Reges,  
 Non secus atq; urfos. at quanta insania cepit  
 Multos, qui Christi cupiunt pia iussa docere ?  
 Hic si quis superimponat vel Pelion Ossæ,  
 Haud tamen ille queat, quis tandem cunq; futurus  
 Sit finis turbæ, quæ te Germania quassat  
 Prospicere. at vox vicini mihi rura colentis  
 Visa est. vir bonus est noster vicinus Alexis.  
 Fallor ? an est ? ipse est. Salve ! quid plangis Alexi ?  
**A.** Eheu. **M.** Quid ? **A.** cecidit ! **M.** Quis ? **A.** do-  
 num ò inclytum ! **M.** Alexi  
 Quod donū ? dic. **A.** vir divus. **M.** Quis Alexi vir iste ?  
**A.** Divus Christophorus. **M.** num verò ille occidit eheu ?  
**A.** Donū ò præstans Christoph. **M.** num concidit ille ?  
**A.** Sic Melibæ Deus nobis ! **M.** Sic fecit Alexi ?  
 Infandum lethi imperium & truculenta potestas !  
 Hic ludus tibi, Mors, demittere corpora morti,  
 Atq; tuum crebro pertingere sanguine ferrum,  
 Non tantū miseri gregis. immò cuspidè dirā  
 Custodes petis, & viduas rectoribus aulās.  
 Nempe tibi ex pomi morsu tam sæva Tyrannis.  
 Nam postquam genus humanum pervaserat error,  
 Tum verò tua nos contra, scelopeta, tuumq;  
 Ferrum, ligna, rotas, fecisti insurgere, dira !  
 Vnde (mihi fas sit, cui) bos, cui pascua curæ,

Cui

Cui caper& hœdi curæ: quem rustica Baucis  
Molliter amplexu redeuntem rure salutat,  
Sit mihi fas audita loqui, quæ retrulit olim,  
Facta, senex, regum qui fertur nosse, Menalcas)  
Qui, Prætolanus, sitientibus imperat Afris,  
Quando colens pingui Triadis pia numina sacro  
Thuris abundantes pateras altaribus offert,  
Atq; dies patrio celebrat de more sacros,  
Tum cyathum sibi (opus cælatum pondere tali,  
Quod dives secum multo Tagus agmine volvit)  
Præferri curat, quem cœni portio fœda  
Ut foris asperfit, totum sic intus adimplet,  
Significans, hominis quod sit miserabile fatum:  
Principio quem cura Dei sic finxit, ut esset  
Exsculptusq; calix auro, speculumq; politum.  
Ait facilis scelerum inventor, Phlegetontius anguis  
Sic fœdavit eum, qui non sit imago Tonantis,  
Ut non iustitiæ referat bonitate fatorem,  
Sed, proh, oppletus peccati sordibus, ipsum  
Deformatorem sectetur & intus & extra.  
Adde quod hinc pestes surgant, hinc ipsa malorum  
Pandora, & quicquid morborum hinc pullulet, omnes  
Hinc, æquâ fini quæ terminat omnia, mors est.  
Illa Duces, lixas, reges, miserosq; colonos  
Vnâ sorte premit. lintre uno Mors vehit omnes.  
Tale volutabant animo, secumq; putabant  
Afrî, cum pompam hanc agitent luce celebri.  
Nos quoq; sic: Hinc est, quod, quæ rapit omnia secum  
Imperio usa suo, Mors magnum fixit A D O N I M,  
A. Imperio usa suo, Mors magnum fixit A D O N I M,  
Regali qui Christophorus de stemmate cretus:  
Religionis erat vindex acerrimus: acer  
Iustitiæ cultor: patriæ pater: optimus Heros,  
Numam Romam suam non rarâ laude frequentat:  
Is, fictâ populos ut religione ligaret,  
Furtivos cum nocturnâ, quâ nescio, Divâ

Congressus est mentitus. Sic Pallade ficta  
Zaleucus cives retinendos esse putavit.  
Hic vero cultu cives, meus ignis, A DONIS  
Imbuit, imbutos tenuit, procul inde remoto,  
Et bene Tarpejo iusso Plutone valere.  
Dignus, vivendo ut superasset Nestora! verum,  
Imperio usa suo, Mors magnum fixit A DONIM.  
M. Iustus Aristides, iustus Draco, iustus & ille  
Qui, neu telarum, quas texit araneus, instar  
Esse viderentur leges, dedit eripiendum  
Ob noxam gnati lumen, iustus quoq; A DONIS,  
Vandalia Dux Christophorus, mihi magnus Adonis,  
Iustitiam coluit, cives servavit & inter.  
Dignus, vivendo ut superasset Nestora! verum,  
Imperio usa suo, Mors magnum fixit A DONIM.  
A. Olim Campanis tristi convivium caede  
Exhilarare fuit mos, & spectacula dira  
Scripserunt certantum ferro, ferroq; cadentium  
Admiscere epulis, & sanguine tingere mensas  
Humano. non Christophori fuit hic animus, non  
Victus: lege Dei ille epulas condire solebat.  
Vidi ego Christophorus cum coenas exhilararet,  
Quae facer Antistes dictaverat, enumerandis.  
Quid memorem cytharas? quidve organa? quidve ci-  
Quidve chelin? mensis quas admiscere solebat? (cutas)  
Dignus, vivendo ut superasset Nestora! verum  
Imperio usa suo, Mors magnum fixit A DONIM.  
M. Plurima scutigeri memorantur Christophori a-  
Orbe omni, cedro, Musis & Apolline digna, (sta  
Quae memori quando mecum sub mente recurrit,  
Tum vero exurunt animum. Tua, nobilis Heros,  
Ex nostro nunquam labetur pectore virtus.  
A. Et septena super jam lux erat, ordine quando  
Sol abit ex pisce, & pisci succedit aquoso,  
De duce lanigeri pecoris, qui perdidit Hellen.  
Summum Christophorus cum, fatum sensit adesse.

Ergo

Ergò , feminei generis Decus, ELISABETHAM,  
SVECORVM fata regali quæ stemmate Princeps,  
Consortem thalami alloquitur sic voce supremâ !  
Cara mihi conjunx , quam tot discrimina nobis  
Iunxerunt. viden ? ut , quæ cunctos abripit æquè,  
Postremamq; dicam mihi mors nunc scripserit? illi  
Parendum est. Ergo tibi puram religionem,  
Et gnatam, generis quæ spes est unica nostri,  
Commendo. reliquum, quod restat, Maximus ille  
Expedit. tale effatus convertit ad astra  
Lumina : sicq; preces ardens descendit in omnes.  
Dixi equidem, mea cum primùm præcordia morbus  
Angeret : Ergonè dura dies & temporis hora  
Ultima me miserum, heu ! inferni mittet ad undas ?  
Ergonè mortis hyems, & ineluctabile fatum  
Me rapiet mœsto letho ? tu, nescia cuiquam  
Parcere, dira soror, sævo me funere tolles ?  
Vivendi num sic spe sum lactatus inani ?  
Sic statui multos annorum ex ordine menses  
Spirando superesse ? quod hei ! quæ pallida triffi  
Cuncta metis dextrâ, Lachesis, me trudis ad umbras ?  
Ergò non posthac oculorum lumine blando,  
Hic ubi se regio tollit, quâ sanguine CHRISTI  
Conspersi vitam vivunt in monte Sionis,  
Aspiciam Dominum ; Dominum, qui flammae tem-  
Aerheræ sedis rutilanti fulmine complet ? (pla  
Ergo non videam mortali sanguine cretos  
Ulterius, sed lethali sub scrobe repostos,  
Mors inimica meos depascet corporis artus ?  
Ipsa mihi tenues vanescens vita sub auras  
In casum fato rapitur, patiturq; ruinam.  
Haud aliter, veluti custos, cui sola voluptas  
Lanigerum pecus, & molles cum matribus agni,  
Postquam sera rubens accendit lumina vesper,  
Cum jam, præpingues fœcundo lacte, capellas  
Vndiq; prudenter cinxit custode Molosso ;

C 2

Ipsè



Ipse sub angusto congesti cespitis antro  
Noctem illam somno fallit. verum altera lucem  
Cum, roseis investa rotis, aurora reduxit,  
Adventasse diem lætus, sua limina rursus  
Destruit, ac humilem subvertit funditus aulam.  
Fila meæ vitæ, non exoranda, rescindit  
Atropos: haud aliter ceu Textrici, arte magistrâ  
Lanificum quæ format opus, dum sedula lenem  
Intorquet radium, formosam Amaryllida cantans,  
Ex insperato fors lintea stamina rumpit.  
Haud secus, ut coquitur populanti torris ab igne,  
Sic dolor humorem paulatim ex artubus haurit.  
Ut viridi primùm defecti à cespite flores  
Arescunt, cum jam violento Syrius æstu  
Terras exurit: Sic, succi, pectus anhelum,  
Expers, tabescit: quod Spiritus ilia crebrò  
Tendit, & assidui gemitus præcordia tundunt.  
O mihi sin esset tantisper luminis usus,  
Donec equos iterum gelidis produceret undis  
Phœbus, & alterius confurgeret umbra dici!  
Sed tu, quæ tristi mors demeris omnia morsu,  
Ceu leo, quem esuries prædantem concitat, agnum  
Vnguibus arreptum truculento concutit ore;  
Frigida prostrati conquassas corporis ossa:  
Ut tremulas fundam has gembundo è pectore voces  
Ceu gemit aeriâ dependens turtur ab ulmo:  
Aut testis latitans meditatatur hirundo querelas:  
Aut Palamedis aves latè loca quæstibus implent.  
Hic pavor, hæ lacrumæ, hæc nostri suspiria cordis  
Vsq; fuère quidem, cum primùm semina morbi  
Sensimus. At rerum tu qui moderaris habenas,  
Diva tuæ mihi donasti medicamina dextræ.  
O, quæ te memorem! neq; enim quâ Cynthius orbem,  
Quando aurora diem famulantibus imperat horis  
Adduci, spectat, nec quâ Sol-mergitur undis  
Hesperijs, quicquam quod mentes mulceat ægras

Invo-

Invenisse datur, nisi quæ promissa potenti  
Ore sonas, verbiq; tui sub codice profers.  
Cedant ingenij dotes, fera prælia Martis  
Indomiti cedant. cedat quodecunq; bonorum  
Lubrica fors animis hominum despondet avaris.  
Tu Deus à nobis maculosi criminis omnem  
Ablatam noxam post te jacies: haud memor unquam  
Illius, tu das pressò solatia cordi.  
Tu facis, ut, quod nunc in me sua spicula, lethum,  
Exibrat, Iovis ambrosiâ sit dulcius. ergò  
Non moriar; vivam, neq; mors abitus meus; immò  
Vita est; nam, mortem qui morte peremit acerbâ,  
Christus vita ipsa est. igitur mea mors mihi vita est.  
Tu vitam donas, pie Christe, & lumine veris  
Aeterno facis usq; frui: tu gaudia vitæ,  
Gaudia perpetuo durantia tempore: confers.  
Quod superest, hinc emigro lætusq; lubensq;,  
Christe, tuo roscò perfusus sanguine, & almâ  
Pace tuâ armatus, commendans corpus & ossâ  
Marmoreæ domui. sed, qui nunc, Spiritus, exit,  
Ille tuæ sit commissus dextræ fideiq;.  
Nec verò, quod jam pono, sub morte manebit  
Corpus. tempus adest, quo summi cæcula cœli  
Insolitam claro tonitru vocem ingeminabunt,  
Tunc animæ socium jungetur corpus. & hac in  
Carne meâ Dominum cernâ; mihi quem ipse videbo.  
Ac tunc, quem æternæ ridentia tempora vitæ  
Tu facis esse super, cœlo tua facta repandam,  
Notaq; erit Superùm hæc bonitas, me vate, cohorti:  
Quin lætus tibi læta canam, dum limina cœli  
Nos cernent, dum florebunt Iovis aurea tempe,  
Atq; tuo aspectu dum nobis corda calefcent.  
Dixerat, & pius in placidum sua membra sopore in  
Composuit. M. Nunc in cælis divinus A D O N I S  
Vivit. ei tantam non invidemus, Alexi,  
Fortunam, neq; tu muliebriter ora resolves

In fletus, ceu gens, divi quæ nescia verbi,  
Aſſolet. id turpe his, qui Christi nomen adepti.  
Quin tumulo flores, & laudes addimus urnæ:

**HOC SAXO TEGITVR, REX STEM-  
MATE, MAGNVS ADONIS,  
CONSILIO PRINCEPS: RELI-  
GIONE DEVS,**

Sed me nocturnas Titan abiturus ad undas  
Ire domum cogit. Tu prosper, Alexi, valeto.


**OBIIT DVX CHRISTOPHORVS**  
*Tempſini, an. Christi 1592. Martij 4.*  
*ætat. 56. sepultus Sverini.*



*Devi*

De vita & morte Illustrissimi Principis  
ac Domini, Dn.

SIGISMVNDI AVGVSTI,  
Ducis Megapolitani.  
ORATIO.

 Vm non aded ante multos annos, duo-  
rum CL. Principum, Christophoriciata est  
& Iohannis, Ducū Megapolitanorum, Octo.  
celissimorum, morte inopinata, Re-<sup>1600.</sup>  
strib. uno eodemq; tempore gravissi-  
mè divinitus afflicta & perturbata esset: in hanc spem  
ingrediebamur, vim fati inexplicabilem, si non prorsus  
exsatiatam, tamen, accedentibus præcipuè nostris ad  
Deum supplicationibus, quodammodo ita tum placata,  
ut reliquis Patrie nostræ patribus non ante hu-  
mani quicquam expectandum foret, quàm eos affe-  
cta ætate aut vitæ satias cepisset, aut huius lucis usura,  
sua sponte, nulla adhibita vi, sicut consumptum, oleo de-  
ficiante, ignem flamma, destitueret. Verum, præ do-  
lor quanta spe decidimus! quam fallaces fuerunt ex-  
pectationes nostra! quàm aliter, atque opinabamur,  
accidit! Etenim, dum in hoc cogitationum cursu secu-  
rè versamur; dum hac meditatione nos ipsos mirificè  
recreamus & quasi abundè pascimus; dum ad nutum  
& preces nostras fluxura omnia vehementer confidi-

mus.

mus : ecce tibi novam Reipub. calamitatem , qua ex-  
pectationem optimam , in quam erecti eramus , non  
modo debilitavit , sed penè etiam imminuit : abrepto  
optimo atq; Illustrissimo Principe ac Domino, Domino  
SIGISMUNDO AVGVSTO , Duce Megapolitano,  
Principe vetusta gentis Henetae , comite Sverinensi,  
Rostochij & Stargardia Domino , Domino nostro cle-  
mentissimo. Non equidem ego dicam, malè actum esse  
cum illo Principe, qui tam relligiosè vixit , qui tam  
integrè partes reipub, sibi demandatas administravit,  
qui tam piè decessit, qui ob præclara nominis & fami-  
liae sua monumenta ita superstes adhuc in omnium no-  
strum oculis & pectoribus vivit , ut ex funeris , quod  
ei hoc ipso die in pervetusto & celebri oppido Sverino,  
ducitur, pompa, velut ex fragrantissima quadam aro-  
matum sylva non tam mortalitatis , quàm immortali-  
tatis efflarè etiam ambra videatur, qua non modo nos,  
sed universum hunc orbem Balticum gratissimo odore  
imbuat atq; insiciat. Sed cum ad nostram omnium ex-  
pectationem , præclare de hoc ipso Principe conceptam  
respicio ; cum ad Pietatem ipsius Principis , cum ad  
benevolentium , qua ille omnes bonos complectebatur ;  
cum ad amorem , quo cives suos prosequeretur ; cum  
ad regium illum favorem , quo erga nostrum ordinem  
inflammatus ardebat : cum ad celsissimam & illustris-  
simam Gentiliam , Soceri & affinium , qui denatum  
hunc Principem acerbissimè lugent , familiam : cum  
ad Illustrissimam viduam luctum incredibilem ; denique  
cum ad pullas omnium , qui illustre hoc funus hodie  
deducunt

deducunt vestes; cum ad populi merorem, fletu tam  
optimum Principem abundè persequentis: cum ad lu-  
gubres cantus, sepulcrales fasces, ad arratos aula-  
rum hujus Ducatus & ipsius templi Sverinensis parie-  
tes, animo me & cogitatione converto; facere nullo  
modo possum, quin maximo damno affectū remp. mor-  
te hujus Principis sentiam, & vestrum omnium, qui  
ad societatem publici doloris vos adjungitis, studium  
maximo opere probem. Ego verò cum recordor, quo  
Principe privati, quo Patrono orbatī simus: ingeni-  
bus doloris facibus incendi, & discruiari me intelligo,  
ita ut magnitudo hujus scribere me etiam conantem  
retardaret, atq; etiamnum propemodum frangat ac-  
clamationem illam faustam, quā & gloria optimi Prin-  
cipis, & qua ille cum beatissimo celestium animorum  
cœtu conjunctus circumfluit, aternitatis lux suo jure à  
nobis exigunt. Verum me ipse culpa, & animum atq;  
cogitationē à gemitu ad grate mentis memoriam, à na-  
niis ad laudes revoco, ut non indignationi sed gratia-  
rū actioni, non lamentationi, sed, qua virtus, sicut plan-  
ta rore, crescit, laudationi potissimū hac nostra inser-  
viat oratio. Nam & nobis piū quidem esse significatio-  
nem quandā doloris in hoc luctu publico, quāta maxi-  
ma possumus animi subiectione ostendere, vestra etiam  
frequentissima corona testatum facitis: Vt autem Deo  
Opt. Max. immortales gratias agamus, qui hunc nobis  
dederit principē: hoc vero cum professione nominis no-  
stri est conjunctū. dum enim Deo gratias agimus; eum  
ad plus dandum piē & religiosè invitamus. & eum  
Princi-

Principum laudes referimus, quid facimus aliud, quam  
quod ordinis Politici auctorem Deum, cujus mens  
magna gubernat fortunam eorum, qui in fastigio di-  
gnitatum sunt constituti; collaudamus, & quid quemq;  
suo loco imitari deceat, nobis in mentem revocamus &  
De ijs SIGISMVNDI AVGVSTI laudibus dicere  
cum in initio cogitabam, etsi hoc pertimescebam, ne pie  
defuncti Ducis amplitudini nihil magis, quam lauda-  
toris infantia officeret: Tamen imprimis me recreabat  
eandor vester, & spectata sapissimè erga me benevo-  
lencia; meq; etiam ad eas partes, quæ non sunt tam  
amplificantis, quam percensentis, nec exornantis sed  
indicantis excitabat. Dicam enim de ijs, quæ in Illu-  
strissimo b. m. Principe summooperè conspicua fuerunt,  
de Cels. ipsius Natalibus: de Educatione: de factis &  
moribus: deniq; de vita exitu. Magnifice Domine  
Rector, Reverendi, CL. Consultissimi Doctissimiq;  
viri, Iuvenes ornatisimi, vos ego rogo, ut me dicen-  
tem benignè audire non gravemini. Pindarus Poëta  
beatitudinis summam coronam accepisse pronunciat  
eum, qui & benè habeat & benè audiat. & rectè qui-  
dem. Etenim, si humano more loquamur, quid ad fe-  
licitatem deesse arbitrabimur ei, qui honesto loco sit  
natus, qui benè sit educatus, qui majorum gloria splen-  
deat, qui omnium rerum copia abundet, qui amicis sit  
stipatus: deniq; qui omnibus & corporis & fortune  
bonis undiquaq; ornatus ipse laudabiliter vitam insti-  
tuit, ut cordatis sit delectationi, suis honori & orna-  
mento, omnibus voluptati & admirationi? quod si quis  
prater

præter hæc Pietatem, virtutum fundamentum & apicem, divino munere concessam & largitam consecutus fuerit, ecquis erit aded emota mentis, ut hunc quasi mortalem quendam Deum veram vera beatitudinis coronam adeptum neget? Vtrumq; Illustrissimo Principi SIGISMUNDO AVGVSTO providentia quadam divina, eaq; haud vulgari contigit, ut & vivus benè haberet & benè audiret: & nunc ad majores suos collectus & benè habeat, & benè audiat. Principid SIGISMUNDO AVGVSTO paternum ac maternum genus ex Heroicis Regiæ & Septemviralis dignitatis atq; excellentiæ Familijs deductum est. Pater Illustrissimi defuncti Principis fuit IOANNES ille Sigifmundi Augusti Megapolitanus, ALBERTI, Herois magnanimi, ex ANNA, filia IOACHIMI, Septemviri Brandeburgica, Filius: MAGNI, principis, ingenio & animo & singulari erga literas reverentia verè magni, ex SOPHIA Pomeranica Nepos: HENRICI, ex DOROTHEA Brandeburgica, FRIDERICI Electoris Filia, Pronepos: IOANNIS, Principum sui seculi in hoc Imperij Romani & gloriæ domicilio, Germania, animi excellentitate & ingenij corporisq; dotibus facillè Principis; Academia hujus cum ALBERTO patruale, ALBERTI Regis Suecorum filio, & Senatu hujus urbis anno 1479. conditoris; ex CATHARINA Saxonica atnepos: Illustrissimorum Principum ac Dominorum Ducum Megapolitanorum, VLRICI patris Patriæ laudatissimi: GEORGII, Principis

D Martij,



Martij, in obsidione Francoforti ad Menum sclopets  
trajecti: CHRISTOPHORI, variis fortuna telis  
exerciti Herois, ante octo annos pie defuncti: CARO-  
LI, quo Dei beneficio adhuc cum Nestore illo Germa-  
nie patria fruitur; utinamq; in multa secula fruatur!  
Ducis optimi ac prestantissimi: ANNÆ Principis  
Curland. ie, omnium virtutum heroica natura conve-  
nientium speculi illustris; Frater: Princeps summè  
literatus: Ecclesie DEI & scholarum singularis  
nutritius: Iustitie gladius: pacis publicæ custos:  
Iudiciorum publicorum propemodum collapsorum cum  
Illustrissimo fratre VLTRICO restaurator: Aca-  
demie hujus, quæ serè in angustias & solitudinem tum  
reducta squallebat, alter, cum eodem Celsissimo fratre,  
quasi Parens, Heros pietate, fide in Deum, comitate,  
beneficentia, clementia, prudentia clarissimus. Ma-  
ter Illustrissimi Principis fuit ANNA-SOPHIA,  
ALBERTI IV. Electoris Brandenburgici, in quo non  
solum militares artes & Imperatoria virtutes: singu-  
lari quadem gratia eluxerunt; sed quem nobilitas quo-  
que generis, quem corporis proceritas ac venustas, quem  
virium robur, & Facundia admirabilem ac penè di-  
vinum reddidit, ALBERTI, in quâ, Achillis Germa-  
nici, Proneptis: ALBERTI V. Marchionis Brädebur-  
gici, primi Ducis Prussie, Herois, ob eximium Religio-  
nis ac pietatis Zelum, ob singularè in literas elegatiores  
favorem ad omnem posteritatem laudandi, Filia; nata  
ipsi ex DOROTHEA, FRIDERICI I. Danie &  
Norvegia Regis, à virtute, sapientia, fide, industria,  
modera-

*moderatione, diligentia in omni officio commendatissi-*  
*mi, Filia : Sorore CHRISTIANI III. Regis Danica,*  
*avi hujus CHRISTIANI IV. qui hodie per Daniam*  
*& Norvegiã latissimè & potentissimè imperat : de quo*  
*CHRISTIANO III. proditum est, fuisse aulam ejus,*  
*prudencia oculum, justitia libram, fortitudinis sedem,*  
*regulam temperantia, honestatis exemplar, fontè gra-*  
*tiarum, Musarum chorum, doctorum gymnasium, theo-*  
*logorum sacrarium, pauperum mensam, refugium innocen-*  
*tum, miserorum presidium. Ex his Parentibus & Ma-*  
*ajoribus Illustrissimus Princeps defunctus. anni milles-*  
*imi quingentesimi sexagesimi, 11. Novembris die ; qui*  
*ortu CAROLI Burgundia Ducis, illius, quem Audacem*  
*& Strenuum & Bellatorem indigetarum, clarus*  
*est ; in hanc lucem vitalem editus & procreatus fuit ;*  
*ut, si Pindar, quem nunc secundo nominamus, illud*  
*decanatissimū verum est, uti verum est : Φυα̃ τὸ γεν-*  
*να̃ον ἐμπρέτει, ἐκ ποτιέων πα̃σιον ἄρμυα, id*  
*quod Poeta Venusinus, Pindari eximius & admirator*  
*& amulator, ita expressit : Fortes creantur fortibus :*  
*& bonis est in juvenis, est in equis, Patrum virtus :*  
*non profecto ullum esse possit dubium, quin semina vir-*  
*tutum illustria, & vis quadã natura præstator à majo-*  
*ribus in illustrissimum Principem defunctum derivata*  
*promanarint. Sed ut ager etiã optimus, si negligatur, spi-*  
*nas profert & tribulos : ita natura etiã generosissima, Educa-*  
*nisi rectè educetur, vel degenerat, vel pravis seducta*  
*moribus à seipsa desciscit & declinat. Puer ergo SIGIS-*  
*MUNDVS AVGVSTVS non tantū ab utroq, Patre*  
*ad ho-gusti.*

ad honestissimam vitam sanctè pieq; degenda rationem,  
ad victum cultumq; corporis sobrium, ad morum gra-  
vitatem cum humanitate temperatam assuefactus est:  
sed viris etiam præstantissimis & doctrinæ eruditione  
clarissimis in disciplinam à Patre traditus est. Memo-  
ria proditum est, Socratem Atheniensem; eum, qui  
oraculo Apollinis sapientissimus iudicatus fuit; quo-  
dam tempore in angiporto incidisse in Xenophontem  
adhuc puerum. Quem ille cum aspexisset, atq; è fa-  
cie generosam ad virtutis decus capeffendum indolem  
elucere non difficulter animadverteret: objecto sci-  
pione transire vetuit. Solebat autem Socrates ex eo,  
quod ille sibi dederat, cum quo disputabat, aliquid  
conficere, quod ille ex eo, quod iam concessisset, ne-  
cessariò approbare deberet. Quæsitit ergo ex Xeno-  
phonte, ecquid sciret, vinum ubi quam optimum &  
sincerissimum, tum panes ubi candidi, tandem carnes  
atq; obsonia ubi prostarent: Ad ea & universa &  
singula cum ille respondisset, scire se: tum amplius  
Socrates, ecquid nosset, homines ubi probati & in-  
tegrî, omniq; condecorati honestamento virtutis edu-  
carentur, quos Græci καλοκαγάρους appellare consue-  
verunt. hic hærebat Xenophon. Quot existimabimus  
esse parentes? non tantum inter plebejos, sed inter  
viros etiam illustres, qui quidem qua ratione, qua  
populo imponantur, vectigalia, excogitanda sunt, pul-  
crè tenent: qui, quomodo ea, qua importantur & ex-  
portantur, vestiganda sunt; probe callent: qui in ex-  
quirendis pambus candidis generosq; vino, atq; aded,  
qua

qua gule apta sunt comparandis toti occupantur, maximam partem solliciti de vita sumptibus cum magnificencia & copia: de institutione autem liberorum, de mente filiorum, particula illa divina aura, qua sapimus, qua meminimus, qua intelligimus, excolenda nihil plus quam de colore cæcus, uti dici solet, sciunt, nihilq; aut parum de tanta re cogitant: hac nimirum inani & pestilenti persuasione ebrj, vel; id quod Gothi Amalofunthe, filium Alaricum Romana disciplina imbui curantis, objecerunt; non convenire, ut qui inter arma & hastas versari deberet, literis emolliatur & ferulis; vel abundè futuros qui pro Principe sapiant? Longè alia mens erat IOANNIS ALBERTI patris Illustriss. Principis defuncti. Is, exemplo laudatissimi Regis Alphonsi, maximoperè improbabat & averfabatur eos parentes, qui in liberis suis partem hanc, quam divinitus habemus, Angelis & DEO similem, non solum desertam incultamq; relinquerent, sed barbarie quoq; non secus atq; vastitate ac impressione quadam hostili, pessumdari sinerent: hominemq; istud tam divinum animal, ad pastum & ad fœdissimam voluptatem abjcerent. Idem Princeps sciebat, & sibi à DEO, atq; à legibus concreditum esse munus in medium consulendi de ijs, quibus sine, respub. salva esse non potest, de vectigalibus, de commercijs & contractibus inter cives rectè celebrandis, & id genus alijs rebus, imprimis verò artem callebat vestigandi eos, quos ad instruendum celebri & regia doctrina filios, & ad teneras suorum mentes preparandas adhiberet,

ut hi divinarum humanarumq; gubernationi rerum  
quondam profecti, cum salutaris pietatis & virtutis,  
atq; aded omnium bonarum artium atq; disciplinarum  
propagatione & defensione processent. Itaq; SIGIS-  
MVNDVM AVGVSTVM initid cum Illustrissima  
fratre IOANNE, quem ante 8. annos fata his terris  
eripuerunt, IOANNI CASELIO, Socrati Germa-  
nico, viro CL. formandum & erudiendum commisit.  
Postea verò singulari consilio singulis filijs singulos  
profecit, IOANNI, Caselium, SIGISMVNDO  
AVGVSTO, Henricum Siberum, Adami  
Siberi, viri & Poete eximij, fratrem. Qua quidem  
in re laudatissimum Persarum exemplum Pater  
IOANNES ALBERTVS, uti opinor, est secutus,  
non sine ratione ratus, si illi iudicassent tantam regie  
institutionis gravitatem, tantamq; necessitatem, ut  
unicum regium Puerum quatuor ex omnibus Persis  
lectissimis & ornatissimis viris erudiendum traderent:  
sibi multò convenire magis, suiq; inprimis esse mune-  
ris ac officij, ut filios duos, ea etate, quæ longius ali-  
quando à potestatis & licentie majoris persuasione ab-  
est, singulis preceptoribus instituendos, & in salutaris  
Pietatis atq; laudatissimarum artium officina quam  
diligentissimè ad rempub. preparandos subderet.  
O praeclarum exemplum! in quod omnes meritò pa-  
rentes, & praesertim ÿ inspicere debebant, qui nihil  
vilius, nihil abjectius, nihil sua, si dijs placet, digni-  
tate inferius ducunt cogitatione illa triviali de recta  
filiotum institutione. Crates olim in excelsissimum  
sua civi-

sua civitatis locum conscendens clamasse fertur: quo  
vultis cives? qui ut opes cumuletis, per extremos  
etiam axes curritis: filios autem, quorum gratia  
quicquid est laborum exantlatis, nequidquam aut  
parum curatis. Sit parentibus non Cræteis cujus-  
dam, sed augusta, & quæ omnium mentes atq; aures  
circumsonet, prætoriaq; quædam vox, illustrissimi b. m.  
Principis IOAN. ALBERTI nunquam satis  
laudatum illud in filios studium, ut, quoties oculos  
in istud convertunt, toties cogitent, decere verè pa-  
rentes, non, ut quemadmodum ille, qui de calceo sol-  
licitus, pedes nihil curabat: ita ipsi pecuniarum ra-  
tionem summam, filiorum nullam habeant: sed ut  
quisq; suo loco filiorum primam, pecunia postremam  
curam gerat, liberisq; præceptores conducatur bonos &  
probos, à quibus non in Helena neq; Bacchi aut Veneris  
fanum, sed in Pietatis atq; eruditionis sacrarium de-  
ducti, pro deformitate, elegantiam, non quidem cor-  
poris; quemadmodum consecutam aliquando fuisse  
accepimus Lacenam quandam, à nativitate deformati-  
ssimarum deformosissimam, parvulam quotidie à nu-  
trice ad Helena delatam: verum ingenij pulcritudi-  
nem consequantur. Sed ad SIGISMUNDVM AVGV-  
STVM redeamus, qui ludo literario sic inclusus offi-  
cium suum probè fecit. Videas enim Magnatum filios,  
quò generosior est in ipsis natura, ed patientiores di-  
sciplina aures præbere. Sunt, fateor, in Heroum filijs  
noxæ; sunt Nerones, sunt Hercules, sunt qui non recal-  
citrant solum, sed benè etiam monentibus vim inferant.

Verumcūmverd quis hos non portenta & degeneres  
potius, quam generosos judicabat? Quò enim quisq;  
est deterior, hoc minus nobilitati atq; ingenuitati ge-  
minum habet: quoq; propius à bestiarum immanitate  
abest, eò est in Præceptores petulantior, eò truculen-  
tior, eò barbarie cum majori, horum, à quibus bene  
vivendi rationem accepit, aut certè, si sciret, acci-  
pere debebat, dignitatem offendit, ledit, imminuit, &  
quod fœdum dictu, auditu horrendum est, non raro  
sceleratissimè oppugnat. Generosa autem, & quæ ad  
DEI Opt. Max. bonitatem quàm proximè accedunt,  
Naturæ amant disciplinæ honestatem; dant locum  
admonitionibus; reverentur leges; voluntatem suam  
ad Præceptorum aggregant: nullum in ijs, quibus se-  
cundum DEVM non minus quàm parentibus debent,  
ornandis, honestandis, colendis vel locum vel tempus,  
vel studij officij ac observantiæ genus prætermittunt.  
Dabitis mihi veniam, si in hunc dicendi campum la-  
tius evagetur oratio mea, atq; huic materiæ convenire  
videbatur. Multi ita secum garrunt: Hem! si me  
natura Regis aut Principis filium genuisset, quàm la-  
tam ego mihi ad omnem libidinem viam aperirem! hui  
quantas fenestras in omnem me præcipitandi cupidita-  
tem ipse mihi patefacerem! quam nullam liberrimè  
vivendi; præceptoribus, legibus, disciplina rejectis  
atq; ad Antipodas relegatis; potestatem mihi sume-  
rem! Inepte, quisquis es, ne dicam Impure, qui ita co-  
gitas, ubi est ingenij tui acumen? ubi sunt sensus tui?  
ubi est acies oculorum mentis tuæ? Adeonè te esse de  
mente





exproceptorem etiam suum, prosequitur, atq; si mo-  
 destiam illius Principis, & tum incredibilem erga re-  
 liquos Praeceptores suos, CL. in hac Academia Pro-  
 fessores, observantiam, tum magnitudinem beneficio-  
 rum in me à Cels. ipsius collatorum, apud vos, quibus  
 hæc ignota non sunt, subicerem aut dissimularem,  
 omnium hominum, quos terra fovet, essem impurissi-  
 mus, inq; vitium ingrati animi, quo nullum DEO &  
 hominibus cordatis odiosius est, liquidò incurrerem.  
 Haud dissimili amore Illustrissimus b. m. Princeps  
 SIGISMUNDVS AVGVSTVS præceptores suos est  
 prosequutus: disciplinam amavit: Scholæ ergastulum,  
 non tanquam pistrinum aut ferricrepidinarum Insu-  
 lam aliquam horruit: sed ut Musarum domicilium,  
 Pietatis officinam, Eruditionis mercatum reverenter  
 habuit atq; magnificavit. Dixi de Educatione Illustris-  
 simi b. m. Principis, qualis ea fuerit in umbris & spa-  
 tijs Scholæ. Nunc in lucem & conspectum hominum  
 eundem producemus. Cum enim optimus & Illustris-  
 simus b. m. Princeps IOAN. ALBERTVS, pater  
 SIGISMUNDI AVGVSTI, fati concessisset, atq; à  
 vita hac in veram migravisset: Dux noster SIGIS-  
 MUNDVS AVGVSTVS, auctore & consuasore Cel-  
 sissimo & Illustrissimo Principe ac Domino, Dn. VL-  
 RIC O, patruo ac tutore, anno ætatis 17. in aulam  
 Septemviralem, Dresdam, tanquam ad illustrem re-  
 giarum & superiorum artium Academiam profectus  
 est, ad AVGVSTVM Saxonie Electorem, lumen  
 & oculum imperij, Principem non armis solum  
 decora-

Vivit  
 in aula  
 Electo-  
 ris Au-  
 gusti.

decoratum, sed legibus quoq; armatum, ut utrumq;  
tempus & pacis & belli gubernare posset, altorem  
Ecclesie, religionis & iusticie gladium, Musarum  
decus & presidium: ut ab hujus viva voce artem pru-  
denter regnandi & factis recte operandi disceret.  
Semper enim viri illustres hoc in more habent positum,  
ut; quemadmodum Romani olim filios suos ex tri-  
viali pulvere in forum, tanquam in virtutis atq; Elo-  
quentie theatrum producebant; ita ipsi liberos suos  
& eos quorum salus & dignitas chara est, vel ad  
Academias, vel ad aulas illustriores, tanquam ad  
nobilissimam omnium heroicarum virtutum officinam  
ablegent. Testis est Achilles, de quo Phœnix; ut est  
apud antiquissimum & sapientissimum Poëtarum  
Homerum Iliados compositione nona; prædicat, eum  
fermè puerum à Peleo patre ex Phœtia in aulam Aga-  
memnonis, virorum eximiorum altricem, virtutis  
palestram missum. Testatur id Evander, Pallantem  
filium suum Æneæ divino viro adjungens, ut sub hoc  
magistro militiam, & Martis grave opus tolerare assue-  
scat, & Æneam solum ab annis primis miretur. Te-  
stis est Cicero, qui sic deductus à patre ad Principem  
in rep. Romana Scævola, ut ab ejus latere nun-  
quam discederet. Testis est IOANNES FRI-  
DERIGVS, b. m. Dux Pomerania, Prin-  
ceps illustrissimus, qui etiam ex Academia in  
aulam Imperatoris Viennam se contulit, ut sub præ-  
ceptore Cesare gubernandi, qua omnium gravissima  
est, artem plenius disceret, & ex aula illa,  
in quavis

in quam consiliorum, rerumq; plurimarum, quae toto  
orbe terrarum peraguntur, semper conflucus est, ve-  
luti ex vivo quodam & magno historiarum libro, pru-  
dentiam, rerumq; in reipub. administratione, tum ex-  
petendarum tum fugiendarum scientiam, quae Principi  
non minus atq; generi humano panis, necessaria est,  
imbiberet. ut interim omittam Cyrum, qui apud avum  
Persarum regem educatus fuit: ut Romanos rerum  
Dominos taceam, quibus quodam tempore mos fuit,  
ut patres filios suos, qui gravissimis illis deliberationi-  
bus interessent, in curiam, in consessum illum Princi-  
pum orbis terrae clarissimum, qui legato Pyrrhi con-  
sessus regius visus fuit, adducerent. ut reliquos silentio  
involvam non modò veteris seculi, sed nostri quoq;  
temporis Principes juvenes, qui in Imperatoris &  
Regum, aliorumq; Principum aulis, prudentia com-  
parandae causa, herent & versantur. Praeclare enim,  
ut omnia, Plato in libro de Regno, Regem ait, non sic  
nasci in repub. quemadmodum inter apum examina  
Ductor ex duobus melior nascitur, maculis auro squa-  
lentibus, ut Poëta verbis utar, ardens, & his Majesta-  
tis, ut Plinius habet, notis ab alijs distinctus: sed ne-  
cesse est, eum in corona & luce virorum, qui rectè im-  
perare & consultare noverint, versari, & reipub. illius  
partes omnes perscrutari & discere. Cum in aula  
Septemvirali AVGVSTI ferè in tertium usq; annum  
SIGISMVNDVS AVGVSTVS commoratus multa  
Principe digna vidisset, multa audivisset, multa didi-  
cisset; inde in Patruj aulam, pietatis & justicie sedem  
& ar-

et arcem translatus, ter optimi magistri exemplo in Apud  
Pietatis, Prudentiae, Iusticiae, Temperantiae, et reli-<sup>Patrum</sup>  
quarum virtutum, natura heroica convenientium, <sup>Vlricū.</sup>  
studio confirmatus et stabilitus est. Hic vidit Pa-  
truum, Nestorem illum imperij Germanici nihil impie,  
nihil precipitanter, nihil inconsiderate, sed omnia pie,  
omnia mature, omnia subducto prius consilio agere.  
Hic vidit eundem Patrum, LVDOICI II. Impera-  
toris similem, pacis ac iusticiae amantiſimum, presen-  
tem iudicij presidere et magna diligentia jus dicere.  
Sed et Patrum ejusdem ductu atq; auspicijs comitia  
Germanica vidit, Augustae Vindelicorum, anno 1583. interese  
ab Inviſtissimo Imperatore RODOLPHO II. cele-<sup>comi-</sup>  
brata, eaq; longè alijs oculis, quam quibus vulgus solet, <sup>tij.</sup>  
vidit et aspexit. Ferè enim in hujusmodi Principum  
conventibus idem fit, quod olim in Graecorum comitijs  
quinquennialibus, ut majorem pleriq; ludorum, et quae  
à Principibus tum agitari solent, conviviorum, quam  
aliarum rerum, quae ad vitam formandam pruden-  
tiamq; augendam faciunt, rationem et curam habeant.  
Non sic SIGISMUNDVS AVGVSTVS. Ille dili-  
genter in mores omnium nationum, quarum in illa  
loca, tum concursus est, sollicitè inquirebat: ille urbis  
Augustae elegantiam, ordinem, ritus publicos et pri-  
vatos, aedificia, artes, negotiationem considerabat, et  
pleraq; etiam oculis avidè perlustrabat: ille quae de  
caussa terrestres Dii convenissent, discebat diligen-<sup>Com-</sup>  
tissime. Eademq; cum in aula Serenissimi et Poten-<sup>mora-</sup>  
tissimi Danorum quondam Regis FRIDERICI II. <sup>tur in</sup>  
<sup>aula</sup>  
religiosa

Regis religiosa in Deum pietate; fide in rempub. in omnes  
Daniae homines benevolentia nulli regum secundi, aula cum  
eodem Celsissimo Patruo suo aliquantisper subsisteret,  
Celsitudinis ipsius cura fuit, ut multa videret, multa  
disceret, multa cognosceret. Vnde effectum; ut, cum ad  
auream b. m. Principis nostri naturam educatio tam  
illustris & usus accessissent, Ipse omnibus virtutibus  
condecoratus Princeps existeret. Fateor, bella illum  
non gessisse, nec cade, rapinis, gemitu atq; lacrimis ur-  
bes regionesq; debellatas complevisse. Sed hoc quoq;  
fatendum, non in bellicis solum expeditionibus virtu-  
tem consistere, sed in negotiis quoq; togatis eam conspi-  
ci, imo, si Tullio veritatiq; credimus, toga armis lon-  
gè est preferenda. Non ut quoq; maximè illustris est  
actio, inquit penu Philosophiæ Plutarchus; ita maxi-  
mè ingenium hominis patefacit: imò verò interdum  
exiguum aliquod factum dictumvè politicum aut jocus  
etiã aliquis magis detegit hominem, quàm urbium ex-  
pugnationes & pugna, quibus multa hominum millia  
ceciderunt. Neq; tamen exigua, verùm maximè con-  
spicua & illustria fuerunt virtutum in b. m. Principe  
nostro documenta. Vt enim arx in loco excelso colloca-  
ta, neq; abscondi neq; regi potest, Sole medium axem  
tenente puro celo: ita Principū virorum vel rectè vel  
secus facta, regi non possunt, quin in omnium oculos  
incurrat, & ab omnibus conspiciantur quàm latissimè.  
Fundamentum autem omnium virtutum & fons &  
origo est vera Fides; sola Christum unicum salutis  
vostre auctorem animi certa inductione apprehendens,  
& res

Et res adhuc in spe positas representans, ac invisibilia  
veluti oculis subiiciens. hæc deinde in vita christiana  
usu, præclare factis, ceu ignis calore suo, se exerit, &  
in hominum oculos atq; mentes liquido se insinuat. Ta-  
li fide in filium DEI divinitus ornatus & donatus  
fuit b. m. Princeps, qua certus erat de promissionibus  
& merito Christi, qua firmissimè statuebat, propter  
mediatorem sibi solum remitti peccata, se esse in gra-  
tia, se esse heredem vitæ æternæ. O admirandam hanc  
& omnibus virtutibus in Principe viro longè antefere-  
dam virtutem! qua peccatores salvat, cæcos illumi-  
nat, pœnitentes reparat, justos augmentat, in æternâ  
hereditate cum sanctis collocat: lumen anime, ostiū vi-  
tæ, fundamentum & janua salutis sempiternæ. Lucra-  
tus sit Alexander totius Orientis imperium. nactus sit  
Iulius Cæsar orbis dominū. longè lateq; grassetur Tur-  
cus. longè majus est hominīs Christiani Bonū, cujus pe-  
ctus fide in Filium Dei salvifica ardet. Quid enim illi  
lucrati, quid nacti sunt, quod non iterum perdidierint  
& perdent, cum animarum suarum jactura irrecupe-  
rabilī? At homo Christianus Fide armatus, & cœlo  
& solo & salo & inferis dominatur: & in gloriosissi-  
ma mortuorum resurrectione in gaudia Domini domi-  
nantium ingredietur, ibiquè conspectu DEI æternū  
fruetur: cum impij interea, quantumvis potentia  
hic clari, non tantum illic inglorij, sed à gratia et jans  
DEI extorres perpetuis inferorum cruciatibus & fu-  
riarum radis ardentibus suppliciisq; inexplicabilibus  
excarnificabuntur. Sed ut generosa parentum na-  
tura

tura, nulla, ne quidem Appellaa, tabula vividius  
exprimi potest, quam generosa filiorum indole: sic  
Fides salvifica nulla ex re clarius perspicitur potest, quam  
ex rectè factis, ex Pietate in Deum, observantia erga  
superiores, amore in propinquos, ἀγαπᾶν, pacis  
studio, benevolentia & ardore amoris in conjugem,  
Iustitia, veritate, comitate, clementia, fortitudine  
deniq; animi omnia mala & adversa perferente. Quae  
quidem omnia & singula in Illustrissimo b. m. Prin-

Pietas  
in DE-  
VM.

cipe nostro fuerunt, Pietatem ipsius in Deum  
totius vitae cursus, tum monumentum illud, quod in  
honorem DEI adificavit, Strelitianum, tum Ec-  
clesiarum paterna procuratio, inspectio & solemnitas  
accurataq; ex verè Lutherana doctrina ardore pro-  
fecta visitatio, tum postremus vitae ipsius actus, pla-  
cidus ille & quietus satis superq; testantur. Quo au-  
tem amore prosequutus fuerit Illustrissimum patrem  
vivum, & matrem: id non solum plurimis in hoc Du-  
catu est obvium, sed & loquebantur id ipsum lacrymae,  
in funere Matris, optimae Principis, tum ab ipsius Cel-  
situdine maxima copia profusa: & locuti sunt id ipsum  
gemitus, quibus sepius utrumq; parentem Celsitudo

Paren-  
tes.

Fratre ipsius desiderare visa est. Fratrem illustrissimum  
ut sanguine interiori conjunctum ardentem amabat, ut  
majorem natu etiam reverebatur: Persei & Demetrii  
dissidia, Aristobuli & Antigoni dissensiones, Aetii ac-  
Thyestae odia cane pejus & angue detestatus. Patru-  
os ut patres semper coluit, ut filius semper honore af-  
fecit. In oratione parcus & verax: sermone placidus;  
candoris

Patru-  
os,

eandem & integritatis ita studiosus, ut nihil à DEO Veti-  
ni integrum & rectum votis quotidianis, etiam inter <sup>tas.</sup>  
familiares sermones, exoptaret. Quid dicam de <sup>Comi-</sup>  
Celsitudinis ipsius Virtute, qua rectè un noverat suis, <sup>tas.</sup>  
quæq; nec sordidum neq; prodigum eum patiebatur? <sup>gritas.</sup>  
Noverunt omnes, qui Celsit. ipsius vitam propius in- <sup>Magni-</sup>  
spexerunt: experti sunt omnes, qui Celsitudini ipsius <sup>ficen-</sup>  
liberalem operam locarunt: re ipsa cognoverunt <sup>tia cum</sup>  
omnes, quotquot Principis opem implorabant; minimè <sup>recto</sup>  
illiberalem, sed in sumptibus honestè faciendis & ero- <sup>rum u-</sup>  
gandis magnificum Principem, SIGISMUNDVM <sup>fu con-</sup>  
AVGVSTVM fuisse. At nullas Pyramides ex- <sup>juncta.</sup>  
truxit, nec sumtum Galloni secutus est: non naves  
adificavit purpureis undantes velis, sericis rudentibus  
conspicuas, argenteis remis superbas; quæ remigando  
tibiarum sonum per dimensa temporis spatia percussis  
undis imitarentur: quali navi Cleopatra, Veneris  
cultu & facie, inter scortorum, riu Nympharum  
amictorum, greges luxuriasse scribitur. Quis autem  
sana mentis Ægypti regum insaniam, quis Gallonium  
prodigum & Epicurum, non irrisit? quis Cleopatra  
dementiam & furorem tanquam calamitatis, in quam  
ipsa non multo post incidit, procum & prodromum,  
non est detestatus? Neq; verò comparat se tecum pro-  
fusione SIGISMUNDVS AVGVSTVS C.  
Caligula; non opibus, non luxu tecum contendit.  
omnes tuas artes, quibus tu magnus fieri cupiebas, tibi  
concedit: fatetur, se auri centies quinquagies millies  
mille uno die non consumsisse, non operosa monumenta

E extruxisse



extruxisse: non habuisse aulam clausam pudori &  
sanctimonie, patentem atq; aded expositam cupiditati  
& voluptatibus: contra, sibi pietatem in Deum, cu-  
ram rectè constituendarum Ecclesiarum, amorem or-  
nanda atq; amplificanda verè Religionis, in propin-  
quos fidem, rectè bonis suis utendi facultatem, &  
omnibus, quibus posset, benefaciendi voluntatem cordi  
fuisse. Ista, superiora esse ac plurimum posse his quoq;  
moribus sentis. non usq; ed tamen tibi invidet istas  
virtutes, quarum dedecora nec Archilochus vel Hip-  
ponax satis justis reprehensionibus exagitare, nec Ci-  
cero vel Demosthenes pro dignitate satis explicare, nec  
Demades aut Rhadamantus meritis supplicijs poterit  
maclare. Fac ergo missos Caligula bonos, noli peri-  
culum creare illustri loco Natis; quibus hoc proprium  
est, ita liberales esse, ut profusionem vitent, ita parsim-  
oniam colere, ut magnificentiam non negligant.  
Quin potius ito ad pestes generis humani, ad rui simi-  
les, Nerones, Vitellios, Apicios, & te cum istis, cumq;  
ista vestra prodigalitate, malorum Iliade, calamita-  
tum pelago, infortunij promo-condo in sempiternum  
& fame & vite dispendium exitiumq; virum mor-  
tuumq; precipitem deturbato. Porro ingens est &  
eximia virtutis laus, que apud Divum Paulum  
exiat his verbis: Magnum est vestigal, Pietas cum  
animo sua sorte contento. Hanc Poeta quoq; commen-  
dat, si quis, inquiring, opulentiam sanam auget, suis  
possessionibus contentus, nec aliena appetens, adjungitq;  
his nominis celebritatem & honestatem: hic non querat

Deus

Deus esse. Ejus quoque virtutis radius in Principe no-  
stro eluxit: cujus laudabile institutum in aeterna erit  
gloria, quod contentus sua sorte intra fines sua ditionis  
se continuit, Fratri suum imperium liberè relinquens,  
pacis publicæ studiosus & amicus. Magna vis est huma-  
nitatis, multum valet salutis publicæ cogitatio, porten-  
tum denique est certissimum, esse aliquem humana specie  
& figura, qui tantum immanitate bestias superavit, ut,  
cum quibus eadem jura, eadem sacra, eosdem majores  
habeat, eos non sine scelerata sanguinis violatione, &  
publicæ tranquillitatis perturbatione laderet, neque po-  
tius summa fide summaque benivolentia veneraretur  
atque coleretur. Sed profecto regnandi libido multos fal-  
sos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud prom-  
ptum in lingua habere, propinquitates non ex re sed  
ex commodo aestimare, regni consortem violare, ex li-  
beris hostes, ex domesticis alienos, ex necessarijs per-  
duelles efficere, cognatumque sanguinem in bellum ar-  
mare tale, ubi & vincere luctuosum & cadere scelera-  
tum. Hac Absolonem in sanctissimum patrem anima-  
vit. hac Eteoclen & Polynicen fratres in se acuere fer-  
rum impulit. hac Pompejum & Casarem conjun-  
ctissimos commisit. hac Lotharingie Ducem Con-  
radum in socerum OTTONEM I. Imperato-  
rem concitavit. quid multis? hac furiarum pesti-  
ma, in quamcumque domum, in quamcumque urbem,  
utcumque felicitate exultantem, admissa & ingressa  
fuerit, tandem rebus omnibus miserabiliter ever-  
sis, cum pernicie utentium semper iterum inde

egressa est. O pestis regnandi libido! O sacrilegum  
 malum ambitio! Sed ò blanda mente prædita ἀντι-  
 ξεια! O iustitiæ filia Pax! O utraq, omnis felicitatis  
 publicæ procreatrix & conservatrix! quid non modò  
 nos, sed ne quidem civilis societas sine te utraq, esset?  
 Te utraq, inter Principes vigente, benevolentia &  
 amicitia inter homines locum habet. sub te religio  
 & legum vox sonat & auditur. sub te fœdera ser-  
 vantur. tu florentissimarum civitatum caussa es & pa-  
 rens. tu supremas bellorum claves habes. tuo deniq,  
 utriusq, beneficio Porphyrones & seditiosi homines à  
 rep. exulant, ÷sdemq, per te consilia eripiuntur ad  
 arma fabricanda calamitatesq, inflammandas. Que  
 cum ita sint, laudanda profectò sunt b. m. Principis  
**SIGISMUNDI AVGVSTI** tum ἀντιξεια,  
 tum pacis studium: quæ equidem virtutes ita conspi-  
 cua in ipsius Cels. fuerunt, ut nunquam aboleri, nul-  
 lisq, tenebris involvi poterint: sed memoria earum in  
 omnem posteritatem deprædicatione & sermone homi-  
 num propagata durabit. Quid memorem Cels. ipsius  
 fidem, amorem, clementiam, qua arsit in Illustrissi-  
 mam suam Conjugem, Dominam **CLARAM MA-**  
**RIAM**, Illustrissimi ac optimi Principis **BOGISLAI**  
**XIII.** Ducis Pomeraniæ, filiam, omnium virtu-  
 tum exornatam dotibus heroinam. Ex quo enim tem-  
 pore Illustrissima Princeps & Domina, Domina **CLA-**  
**RA MARIA** in regium hujus Principis thalamum  
 venit, maritus illustrissimus eam sincero amore, omni-  
 bus officijs, Principe marito dignis, se exerente, &

Amor  
 conju-  
 galis.

minus

mutua sincerâq; fide adamavit & coluit. Quàm au-  
 tem Ipsa Princeps & Domina maritum & Dominum  
 suum suaviter redamaverit, quàm comiter deperierit,  
 quanta mutua & sincera fide ardentissimè complexa  
 sit: docent cùm alia non obscura, tum laborum com-  
 municatio & arumnarum, quas ipsa Domina suas  
 semper existimabat, ita quoq; ut ingravescente tandem  
 morbo nunquam à marito digrederetur, sed, ceu Sul-  
 pitia exulem maritum in Siciliam, ita ipsa Dominum  
 suum, non quidem extorrem, sed ad Thermas Caroli-  
 nas proficiscentem, per varia & presentissima vitæ  
 discrimina sequeretur; atq; ut uxor Guelphi hume-  
 ris suis maritum impositum capitis & salutis pericula  
 subduxit: sic ipsa Dominum suum manibus suis non  
 raro cum alijs gestaret: nihil dubitans, suo etiam, si  
 posset, periculo Celsiss. maritum ex morte eripere.  
 quam eandem, si acie oculorum eò usq; pertingere no-  
 bis liceret, aspiceremus hoc tempore, quo inexhausto  
 & humane rationi impervestigabili DEI consilio Illu-  
 strissimus maritus ex sua in cœlestem aulam transla-  
 tus est, ut turturem amisso conjugè, non tantum geme-  
 re, sed præcipuo quodam dolore affici, cruciatumq;  
 cordis, quo ob desiderium mariti angitur, lacrumis &  
 planctu testatum facere. Nec minori Iustitia, quam Iusti-  
 cia. in conjugem fidei laude Illustrissimus fuit præclarus.  
 Nam & servans erat promissorum, & ipse nemini in-  
 ferebat injuriam, & sibi suisq; subditis illatam prop-  
 pulsabat, & vel gravissimis admonitionibus, vel legum  
 poenarumq; vinculis coercerat. Cum Satibarzanes,

Artaxerxis regis cubicularius, quiddam minus iustum  
à Rege peteret, semiretq̄, Artaxerxes illum hoc face-  
re, sollicitatum 30. Daricorum millibus : quassori era-  
rij sui mandavit, ut 30. Daricorum millia ad se de-  
ferret, & allata ea dedit Satibarzani, dicens: Accipe.  
nam hac tibi cum dederò, non ero pauperior : iniustior  
autem futurus, si illa, qua petebas, nunc dedissem.  
Idem erat b. m. Illustrissimo Principi SIGISMUNDO  
AVGVSTO animus, ut mallet rerum suorum jactu-  
ram facere, quam committere, ut aliquid contra justi-  
tie leges à quopiam suorum designaretur. Quid porro  
dicam de Φιλαυθωπία nostri Principis? quae eum effi-  
ciebat humanum sine despectu, comem sine scurrilitate,  
affabilem sine levitate. Vana est vita nostra, & for-  
tune, quae pinnas suas apprehendi non sinit, vicibus,  
sicut incerto motu luna, circumvolvitur, ut nec musca,  
quantumvis celeriter volantis, tanta sit pernicitas,  
quanta est rerum humanarum conversionis volubilitas.  
Colchou herba unum diem durare dicitur. & insectum  
ephemerum manè infans, juventutem tenet meridie,  
vesperi autem semio conficitur & emoriitur. Idem de  
Pisce, quem propterea Diem appellant, tradunt. Qui-  
bus autem oculis, quam quibus tale ephemerum ani-  
malculum intuemur, inspicere possumus alijs nostram  
felicitatem? Est enim ea nihil fugacius, nihil fluxius,  
nihil vanius: ut non tantum vanitatis sit in umbra  
somnia, quantum est in rebus humanis, etiam cum sunt  
splendidissima. Hoc docet Nabuchodonosor, rex po-  
tentissimus, præter expectationem de solio regio ad  
feras

feras detrusus. hoc testatur Ruffinus, eo, quo Imperator salvari debebat, momento, in mille partes à militibus discerptus. hoc comprobatur Lucia, Aurelij Imperatoris soror, acu à filio lactente, inter lusum & risum occisa. hoc sanctissimus rex David, hoc sapientissimus Salomon, hoc formosissimus Absolon, hoc felicissimus Imperator Scipio Africanus, hoc callidissimus Alcibiades, hoc crudelissimus Annibal, hoc eloquentissimus Cicero, hoc justissimus Aristides, hoc divinus Socrates, affirmant & loquuntur. Et tamen vide, quàm multi cristas erigant, quàm superbiant, quàm ferociant! Nactus est aliquis recens bonum? Deum fidem, quam ille & magna spe elatus, & audacia alatus volitat? Ditior est quis? jam se supra omnes collocat. Doctior est quis? jam pavonis more, caudam in gyros torquentis, gemmanis doctrinae expandit colores, omnesq; palàm exponit, quos spectari gaudet, eruditionis, ut sic dicam, oculos. Noster profecto Princeps memor erat rerum humanarum, & fragilitatis atq; inconstantia earundem cogitatione, se non efferebat, sed comis erat & humanus, ut saturitatem insolentem, profanamq; quæ Tantalum lapidi à capite averruncando alligavit, quæq; maximos reges evertit; superbiam ab animo Principis hujus exulare cognosceres, & evidentissimo argumento deprehenderes. Ac ut verè dicam: quemadmodum favorum mellis opificium, qui Lyrico τῆρ & μελιος ἀν τῶν & dicitur, reliquas ejusdem insecti operas dulcedine & suavitate longè superat: ita in cætero choro virtu-

tum suavis mentis & comitas in hoc principe excellē-  
bat. Non hoc me temporis causa dicere quis arbitre-  
tur. sunt, & credo etiam in hoc confesso, comitatus hu-  
jus in nostro Principe testes omni exceptione majores,  
qui cum viderunt tum colloquiis, humiliorum etiam,  
aures clementes dare, tum interdum convivis priva-  
torum interesse: quorum alterum Hadriano, alterum  
Augusto Imperatoribus Romanis familiare fuisse con-  
stat. Quam equidem virtutem sine majori numinis vi  
in hoc nostro Principe fulsisse, minime est credendum.  
Nam in summa omnium rerum, quæ plerumq; homi-  
nes insolentes facit, potestate reperiri Principem vi-  
rum, qui à stratioticis moribus ad humaniorem cul-  
tum, à fastu ad modestiam, tumiditate ad mansuetu-  
dinem se & animum, non præpeditis malis exemplis,  
revocaverit, & id certè non aliam ob causam, quàm  
ut Deo grata faciat, & honestatis decus colat: hunc  
scias majoribus quàm vulgaribus humanis viribus re-  
gi atq; gubernari. Sed nunc venio ad eam vitam Illu-  
strissimam b. m. Principis partem, quæ & fidei documen-  
tum certissimum, & patientiæ exemplum est illustr,  
& nobis simul totiq; huic Provinciæ luctuosa. Vixerat  
Illustriss. Princeps Sigismundus Augustus in conjugio  
pio, svari, concordæ, non integros annos septem, cum  
21. Maij die anni superioris in gravissimum morbum  
Morbo. incidere, qui & ipsi finem vitam attulit. Quid hic  
Princeps noster? primò veram medicinam adhibuit,  
& se in vera contritione & fide ad precationem exci-  
tavit: quæ oranti est subsidium, DEO sacrificium,  
morbo-

morborum flagellum; quæ fidelis nunciū instar manda-  
tum peragit, & penetrat eò quòd caro pervenire non  
non potest. Hinc medicos consuluit doctos atq; expe-  
rientia claros. Parum enim doctos medicos vitari  
debere, Seneca jubet, ut qui satis seduli sint in mul-  
tis officiosissime occidendis. Peritum ergo virum, cujus  
fidem jam multos annos perspexerat, CL. Dn. Wil-  
helmum Laurenbergium, artis medicæ Doctorem, &  
hujus Academiæ Professore, Collegam & Compatri-  
meum colendum, imprimis consuluit; ejusq; opera so-  
lerti ad depellendum aut certè mitigandum malū usus  
fuit. Atq; ne sibi suaq; saluti, atq; adeo ardenti in Il-  
lustrissimam Conjugem amori deesse videretur, pro-  
fectus est ad Thermas Carolinas: tempore alienissimo,  
summo cum suo & suorum discrimine: in quo itinere  
aliorum quoq; medicorum præstantium consilia audi-  
vit. Reversus est autem inde haud paullo meliori,  
quam profectus fuerat, valetudine. Interjecto tamen  
tempore, Dei ope, & industria Doctõris Wilhelmi, mor-  
bus aliquid de severitate sua remisit. Incredibilis autem  
b. memoriæ Illustrissimi Principis in doloribus, qui in-  
expertis semper graviores videntur, perferendis animi  
fortitudo eluxit, ut, cum semel pulsus malum, accessio-  
nibus, quæ Medicis symptomata vocantur, ijsq; variis  
& multiplicibus, ceu satellitiis quodam improbiore, sti-  
patum postea non tantum recurreret, sed paulatim  
etiam magis atq; magis invalesceret, ipse Princeps tan-  
to constantius fide & spe animū adversus quemcūq; ca-  
sum obfirmaret, quanto majus periculū quodie immi-



vere videretur: subinde una tempestate praterente,  
& in decedentis locum altera, militis cuiusdā subsidia-  
rii instar, succedente. Aristoteles, cum in morbum  
incidisset, & medicus ei quoddam praeceptum, ad va-  
letudinem faciens, & quod ille sequi debebat, injun-  
geret: Ne me, inquit, cures ut bubulcum aut arato-  
rem, sed prius causam edissere. Ita habiturus es mo-  
promptum ad obsequendum. Hoc cum prudenter tene-  
ret, omnium eorum, quae in valetudine Principis re-  
sarcienda adhibebantur, ἐγὼ δὲ ἀνὴρ Collega noster D.  
Wilhelmus: tum Principem de singulis, quae corporis  
restituendi causa fiebant, comiter docebat. Ex quo  
factum, ut Principem praeceptis medicis, & morbum  
pharmacis obsequentiore haberet; ut toto corpore  
tabes aliquando excederet, & omnia in valetudinem  
Principis blandè conspirare viderentur, cum Princeps  
& venatum semel exiret, & aliquoties in paradisis,  
aule suae proximis, animi gratia deambularet. Sed &  
fallax bonum valetudo semel conquassata! non tot sunt  
Euripi agitationes, non tot perturbationes, quot in  
corpore malè affecto sunt vicissitudines. Cum jam post  
pluvias nubibus pulsus caelum serenum expectaretur,  
ecce, praeter opinionem, nova tempestas ingruit: fe-  
bris Principem insicit, non quidem sola, sed secum  
trahens tumorem, qui ex fervente tenuiq; sanguine  
constatus, Polluci ἐγὼ δὲ γέροντας, Latinis sacer ignis, di-  
citur. hic Principis pectus ulcere maligno inflammat,  
& languida Celsitud. ipsius praecordia ardenti calore  
torret. Verum hoc quoq; propulsum est malum. Sed ut  
Turcus,

Turcus, crudelissimus & insensissimus nominis nostri ho-  
stis, semel ex arcibus Ungaricis ejectus, non quiescit,  
sed vel vi, vel dolo, vel prodicione easdem iterum sua  
potestatis ut faciat, manibus pedibusq; noctes diesq;  
contendit: ita febris illa, sepius pulsa, sepius tamen  
recurrat, & optimum Principem assiduis quasi insul-  
tibus adorta est, donec eum prosterneret, prostratū le-  
tulo affigeret, affixum viribus atq; anima tandem ex-  
ueret. In his morborum & moris doloribus sevisimis  
& diuturnis non potuit non Principem, quæ est imbeci-  
llitas carnis nostræ, imprimis fangare cogitatio illa  
de ira DEI exæstuante, & graviter sine fine ipsius Cel-  
situdinis ossa comminvente & conquassante Sed tamen  
Celsitudo ipsius divinitus adjuta ex his tempestatū flu-  
ctibus semper eluctata est, & fide in filium DEI ac spe  
futuræ certæ liberationis inde emerfit. Age inquit, quid  
indignatione, quid dolorū impatientia efficere, quid  
assequi potest homo? nunquid in jus vocabite & dicam  
scribet ei, cui ut morem gerat, lege stat fixum  
certa ac mobili. Veruntamen fidelis est idem, nec  
majus nobis onus imponit, quàm cui ferundo sumus.  
Quod si, ut sumus homines, scænum & caro, vires no-  
stræ defecerint: si omnia, quæ ab hominum salutarè  
consilio proficisci possunt, irrita vanaquæ esse incepe-  
rint: tum verò, tum incipit DEI auxilium, ita  
ut humanæ opis finis, sit divini auxilij exor-  
dium. Atq; in hoc ipso tamen DEVS om-  
nia pro investigabili sua voluntate administrat.  
An non legimus, quot morbos, humanam etiam  
industriam

industriam effugientes, Christus, animarum nostrarum pastor, vel verbulo sanaverit? Idem Iehova etiam nunc vivit. ipse veniens veniet: quanquam carni difficile est, eum venientem, & , uti nos iudicamus, tardantem etiam expectare. His & similibus  $\omega\lambda\eta\gamma\omicron\Phi\omicron\epsilon\iota\alpha$  fidei plenis vocibus Celsitudo ipsius inter gravissimos dolores seipsam erigebat & sustentabat. Adversa sentire, hominis est: equo animo & spe futura liberationis tolerare & perpeti, Christiani: fide vero in filium DEI superare eadem, hoc non tantum est Christiani, sed in hac vita in eorum numero, qui premijs eterne beatitudinis coronabuntur, numero collocati. Sape etiam Celsitudo ipsius sibi in animum revocabat Davidis calamitates, cum in alijs etiam 13. Psalmo in uno etiam orationis ambitu, quater se ad DEO & quidem magna cum verborum gravitate, derelictum conquerentis. Sapius recordabatur, & quidem summa cum voluptate animi recordabatur sermonis, quo p. m. Reverendum & CL. virum  $\Phi\omega\varsigma$   $\kappa\alpha\iota$   $\omicron\mu\mu\alpha$  huius Academiae Dn. DAVIDEM CHYTRAEVM, in gravissimo illo, & Iliados obsidione ferè diuturniore morbo, consolandi sui causa, usum fuisse Cels. ipsius inaudierat. Interrogatus enim vir ille praestantissimus, quibus viribus, qua ratione, quibusvè artibus tantam morborum diuturnitatem sufferre posset, respondere solitus est: Precibus & Patientia. Sapiissime autem b. m. Princeps, quoties in angore cordis constitutus, & ex carnis ac fidei lucta defatigatus sentiret sitim, toties, quemadmodum cervus desiderat

desiderat fontes aquarum, ita ipsa fontem vite Iesum  
Christum desiderans, vel concionibus sacris, quas ver-  
bi minister sepius coram ipsa decumbente habebat,  
audiendis; vel Psalmos precesq; selectiores, attentè  
legendo; vel alicui eosdem recitanti magna cum ani-  
mi devotione operam dando, sitim illam suam leva-  
bat. Quinto tandem die superioris mensis Septemb. Vitæ  
præsagiens Princeps ac præcipiens animo certam mi-  
grationis horam, tum verò Illustrissimam ac optimam  
Dominam, Dominam CLARAM MARIAN,  
Conjugem suam, multū attonitam, ac de vita Illustriss.  
mariti & Domini unicè sollicitam, apprehensa manu  
salutavit, multumq; obsecravit, ne suum ab hac vita  
discessum alio quàm christiano animo sufferet. sibi pa-  
ratam esse perpetuæ quietis ac tranquillitatis aulam,  
cælestium voluptatum, quibus in sempiternum tempus  
frueretur, copia & magnitudine abundantem: ad  
quam; ita volente atq; jubente summo Imperatore;  
lubens ac volens, statione hac relicta, emigraret. Hinc  
Consiliariis, plurimisq; è nobilitate, qui visendi Prin-  
cipis causa eò confluerant, & omnes discessum hunc  
fletu atq; lacrimis prosequerantur: tum medicamentis,  
tandem omnibus omnind rebus salve & vale dicto, to-  
tum se ad migrationem felicem & beatam composuit.  
Itaq; primò omnium Sacerdotem optimum accersiri  
jubebat, cui peccata sua confiteretur, & à quo panem  
& vinum, per quæ nobis verissimum Christi corpus,  
verissimusq; ejusdem sanguinis, admirabili planè ac  
humane rationi incognito modo, vescentibus & biben-  
tibus

libus communicantur, deinceps acciperet. Summa au-  
tem cum religione, & vero animi, se & sua peccata de-  
plorantis, & in solius filij DEI lyra acquiescentis,  
ardore, summoq; vite aeternae & capitis nostri Domini  
nostri Iesu Christi coram videndi desiderio utrumq;  
peragebat: ut nullum esset dubium, quin Spiritus san-  
ctus haec omnia, accenso in Celstudinis ipsius Fidei sal-  
vifico lumine, ageret. Vbi corporis & sanguinis Do-  
mini nostri Iesu Christi participatione tanquam viati-  
co se instruxerat, & adversus quosvis salutis praedones  
Fidem communiterat: commendo, inquit, mi Deus, in  
manus tuas hanc animulam meam, sanguine Iesu Chri-  
sti aspersam, ut ibi sit, ubi tu es pater meus, ubi tu es  
frater meus, ubi tu es paracletus meus. nec sum solli-  
citus aded de loco. Nam DOMINI manus quem  
tuetur, ille expers est omnis molestiae, perfruiturq;  
summo gaudio. Hac inter vota & suspiria & dulcis-  
sima de vita aeternae inenarrabilibus gaudiis sepius  
eo die cum praesentibus repetita colloquia, Illustris-  
simus Princeps SIGISMUNDVS AVGVS-  
TVS, laboribus exhaustus, curis fractus, morbis ex-  
anilatus, in vera agnitione & fide in Filium DEI,  
unicum illum inter DEVM & hominem Mediato-  
rem, sine ullo mortis acerbioris sensu, ratione sensibus-  
que integris, in regia sua Ivenacensi, placide obdormi-  
vit. Sic ergo Illustrissimus Princeps SIGIS-  
MUNDVS AVGVSTVS natus, sic edu-  
catus, sic vixit, sic mortuus est, ut & bene habe-  
at, & bene audiat. Quis enim bene audire nega-  
bit eum,

bit eum, qui natalibus clarus, pietate eximius, factis  
& meritis inclutus desiderium sui apud omnes cives Opinio  
reliquit? Quis dubitabit affirmare, bene habere hunc post  
qui in vera Filij DEI agnitione & fide hinc discedens mortē.  
vite eterna possessione nunc gaudet, ubi sine fine DE-  
VM videt, sine fastidio amat, sine fatigatione laudat?  
Tu, SIGISMUNDE AVGVSTE, verè nunc bene  
habes! tu in conspectu DEI vivis! Tu in numero eo-  
rum, qui stolam suam in sanguine Agni laverunt, co-  
ram throno DEI consistens, gratissimum Agno Paena-  
canis! Tu caelestium voluptatum copia circumfusis,  
sanus sine agrotatione, securus sine metu, dives sine  
inopia! Nec verò hinc ex hominum genere Tui abole-  
bitur memoria. Dum Variae erunt Musae; dum Virtutis  
nomen inter homines celebrabitur: dum regium Illu-  
strissimorū Megapolitanorum Ducum stemma florebit:  
Semper honos, nomenq; tuum laudesq; manebunt.

Quod superest, Tibi Aeterne Deus, Pater Domini  
nostri Iesu Christi, qui cum Filio & Spiritu sancto Sta-  
tor es omnium rerumpub. & in his furoribus mundā  
tuam colligis Ecclesiam, Tibi Illustrissimos Principes  
Duces Megapolitanos, Dominos nostros clemētissimos  
& universos & singulos: Tibi Illustrissimam Viduam  
Dominam CLARAM MARIAM in acerbissimo hoc  
luctu penè animo deficientem pectore toto commēdamus.  
Tu Illustrissimis jūioribus Principib; ac Dominis nostris  
clemētissimis, Dn. ADOLPHO FRIDERICO, & Dn.  
IOANNI ALBERTO, in quos tota ferè do-

aus Megalburgica inclinata incumbit, largire Enochii  
pietatem; Samsonis pectus, Iosia in conservanda ve-  
ra religione zelum; Mathusale annos; Jacobi fecun-  
ditatem; Davidis consilium; Salomonis cor & opes.  
Tu Celsissimum Principem & Dominum, Dn. VLRI-  
CVM, cum Illustrissimo fratre Domino CAROLO,  
Dominos nostros clementissimos, in multa secula sal-  
vos, incolumes florentesq; conserva, propter nominis  
tui gloriam, & harum terrarum salutem. Serva  
hunc Ducatum: serva hanc Academiam: serva hanc  
Urbem: serva deniq; & rege Nos omnes Spiritu  
sancto, ut hoc Doctore & Ductore in vera  
agnitione Filij tui Tibi grata cogite-  
mus, grata dicamus, grata  
faciamus.

Humanæ opis epilogus, DIVINI  
AUXILII exordium.









